21 J 226

Digitized by Google

rodní knihovna ČR
storické fondy
21 J 226
Národní knihovna
1002395999
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

G. VII.
287.

Digitized by Google



Digitized by Google

Ex Bibliotheca Antverpiensi
Congregationis ordinis Excalcea-
torum SS. Trinitatis de
Redemptione captivorum.

Digitized by Google

CONCLAV[illegible]

In quo

FABIUS CHIS[illegible],

nunc dictus ALEXANDER VII.
ſummus Pontifex creatus eſt,

II. Urbani VIII. Confirmatio Bullæ Gregorii XV. de electione Romani Pontificis.

III. Nomina & Tituli Cardinalium nunc viventium.

IV. Bulla, quæ die Cœnæ Dominicæ promulgari ſolet.

V. Matthæi Palmerii, Florentini, de Captivitate Piſarum Hiſtoria, ex recenſione L. N. M.

Cum ejusdem Præfatione conclavi præfixa

De Vita Innocentii X. De Cardinalium origine, auctoritate & factionibus; De Pontificum Electione, potentia, provinciis iis ſubjectis, eorum ſede, rediribus & regimine.

:(o):

SLESVVICI excudebat JOH: HOLVVEIN,
Sumtib. JOHANNIS CARSTENS, Bibl.
ANNO M. DC. LVI.

Z. f. K.
Digitized by Google

Digitized by Google

AD VIRUM

Antiquo generis ſtemmate Nobiliſſimum, Doctrinæ Virtutumq́; gravitate eminentiſſimum ac ſtrenuum

DOMINUM

LEVINUM NICOLAUM MOLTKEN,

Equitem Megapolitanum,

Cum Sereniſſimi Ducis Sleſw. & Holſatiæ Conſiliarius intimus &c: conſtitutus, hunc librum in lucem prodire juſſerat.

ADAM OLEARIUS, Bibliothecarius in aula Cimbrica.

QVam felix virtutis iter, quà Fama celebris
Laudibus aſtriferi propius confinia mundi
Tollit MOLTKENUM DECUS, æternisq; colendi

 No-

Digitized by Google

Nominis inſcribit monumenta verenda tabellis.
Si ſua Nobilitas laudum præconia mundo
Explicat, & veteri cenſetur imagine virtus,
Septingenta genus tranſcendit ſecula avitum,
Quo, LEVINE, tuum poteris natalibus ortum
Ducere, & antiquo ſplendeſcere ſanguinis auctu.
Sed ne priſca patrum ſeries mage ſplendeat in Te,
Quam propriæ, ſudas, exercita gloria laudis,
Gloria, quam virtus generoſo in pectore quondam
Sevit, & Aonides; quamq; accreſcentib. annis
Euphroſine ambroſiis potavit ſedula nimbis,

Jus-

Digitized by Google

Juſſit & in florem vires producere
Phœbus.
Quem nunc maturum gaudet de-
cerpere Flora
Cimbrica Parrhaſiæ gelido ſub vir-
ginis axe,
Aras ad Themidos gratos ut ſpiret
odores.
O MOLTKENE, decus gemini præ-
nobile Pindi,
Quàm tuus Aonias urgebat Pegaſus
undas
Partibus Oenotriæ, & Tiberis, quò
gurgite iniquæ
Indolis Auſonios, & Gallos Sequa-
na mergit.
Sortis Ulyſſææ variis Te caſibus a-
ctum
Vidit commiſerans Auroræ nuncius
Æthon,
Et cum ſera rubens accendit lumina
veſper.

Invi-

Inviſum patriæ gemino dum funere fatum
Magna Ducum noſtris extinxit lumina terris.
Aſt hæc mœroris magnam tranſlatio Scripti
Abſtulit ex animo partem, CONCLAVE recluſum
Dum tua ſedulitas hoc & Papalia luſtrat.
Ecce novum fauſto ſurgit jam ſidere lumen
Et Cælum fatis contraria fata rependet.
Accipe purpureos Divino Numine honores,
Quæq; Tibi patriæ digno Pater exhibet almus.
Cum patre diviſum Phæbeo numen habeto.
Publica ſic ſteterit melior res noſtra, ſalusq;

Sit

Digitized by Google

Sit felix, quodcunq; paras, felicior ipſe.

Pergat in Arctois tua Laus & Fama celebris

Notior eſſe plagis, & ſedem figat in aſtris!

An

Digitized by Google

An den Leſer.

WIr ſeynd von Natur befliſſen
Etwas newes wollen wiſſen.
Was geheim und nicht gemein
Wil von uns erforſchet ſeyn.

Hier ſteht offen eine Pforte/
Was man am geheimen Orte
Abgehandelt hat im Raht/
Hier man zuvernehmen hat.

Hier kan man was newes ſehen/
Nemblich/ was zu Rom geſchehen/
Als der Pabſt erwehlet ward:
Was es mit der Wahl für Arth.

Wie die wurde vorgenommen/
Und GVIS' auff den Stul gekommen.
Der gelehrte Cardinal
Zweymal tüchtig war zur Wahl.

Das

Digitized by Google

Das bezeugen ſeine Schrifften/
Vnd was er noch mehr wird ſtifften/
Gebe GOtt zu ſeinem Ruhm/
Vnd zum wahren Chriſtenthum!
Man ſiht gleich wie durch Cryſtallen
Andre Sachen / die nicht allen
Vnter Deutſchen ſeynd bekand/
Wie es iſt mit Rom bewand.
Rom das Haupt der Welt man nen-
Davor ſich es auch erkennet. (net/
Keine Stadt iſt in der Welt
Die dir / Rom / die Wage helt.
Wil man ihren Staat durchgehen
Vnd des Pabſtes Hoff beſehen.
Muß man ſagen; daß nicht ſey
Jrgend ſolche Policey.
Von ſo hohem Staat und Weſen
Wird von keinem Hoff geleſen.
Alles iſt voll groſſer Pracht
Neben Reichthumb / Muth und
Macht.

Iſt

Digitized by Google

Iſt ein Vorſchmack von dem Leben
Das der Himmel dort kan geben /
Am Schmuck / am Gepreng' und
Ehr /
Wann der Himmel weltlich wer.

Liß diß Buch / und ſag mirs wider /
Was für Fleiſch in dem Gefieder /
Ob es Tauben / wie man meint /
Oder Falcken / wie es ſcheint.

Adonis Sleidanus.

Præ-

Præfatio
LEVINI NICOLAI Moltken/
Sereniſſimi Sleſovici, Holſatiæ &c. Ducis Conſiliarii Intimi.
De
INNOCENTII X.
Vita, Cardinalium Origine, aucto-ritate, Pontificum electione, potentia, ſede, reditibus & regimine illorum Dominii.

CUm ante aliquot menſes Romæ ſummis doloribus, miſeriis & luctu propter heu! nimis immaturũ Ducis Holſatiæ JOANNIS GEORGII *Principis, qui nil niſi magna nil niſi excelſa & præclara in illa, qua erat ætate, promittebat; cujus ſublime & erectum ingenium conjunctum ſumma cum morum ſuavitate, nemo ſatis admirari poterat, obitum, perculſus hærerem; eaq́ ſolatia, quibus plerumq́*

Digitized by Google

alij miſeri non deſtituuntur, mihi deeſſent, neq; occupationes haberem, quæ animum ab his angoribus abducere poſſent; cogebar aliquid meditari & ſcribere, ut minus de illis cogitandi ſpatium ei relinquerem; tentabam hiſce laboribus veluti munimentis quibusdam animum munire, ne dolores planè eum opprimerent. Scripſi ideò tunc mihi ipſi conſolationem, quæ aliquando lucem videbit: venerunt & tunc quædam ſcripta de proximo longa mora & obſtinatis partium ſtudiis celeberrimo Conclavi, in quo Alexander 7., qui nunc Romanam Eccleſiam regit, ſummus Pontifex creatus eſt, in meas manus. Illud, quod inter ea optimum viri Romanæ curiæ haud imperiti judicabant, ex Italico reddidi latinum. Et opera duxi pretium id publici uſus facere, ut cognoſcantur partium ſtudia & modi, quibus Romani Pontifices eliguntur. Tranſlationem non eſſe elegantem fateor; ſed æquus Lector facilè me excuſabit, cogitans me hæc inter ſummos animi tumultus & perturbationes ſcripſiſſe. Utebar & inſuper tunc, veluti hoc tempore, quò hæc in chartam conjicio valetudinis imbecillitate: ad eleganter aliquid elaborandum opus eſt otio, ſeceſſu, animi tranquillitate, curarum vacuitate

tate

Digitized by Google

tate & bona valetudine: quæ cum jam ferè omnia ſimul à me abſint, veniam facilè obtinuero, ſi ea, quæ dicto conclavi, quod ſub prælo eſt, addam, minus compta & perfecta cuidam videantur. Putavi tamen neceſſarium & huic libello apprimè congruum, bullam Gregori XV. de Electione Romani Pontificis confirmatam ab Urbano 8. adijcere & pauca de Pontificis Innocentii X. natalibus, vitâ & moribus, de Cardinalium Origine, auctoritate & factionibus, de Pontificum Electione, ſtatu & potentia, de eorum ſede urbe Roma, de regimine Dominii Eccleſiaſtici & Pontificum reditibus præmittere, ut clariora, de quibus conclave agit, reddantur. Ea, quæ de Innocentio litteris mando, partim ex Relationibus Legatorum Galliæ & Venetorum hauſi, partim Romæ à viris fide dignis percepi: diverſis enim temporibus & ſatis diu ibi ſub iſtius pontificatu commoratus ſum. Eaq; ſine ullis animi affectibus, ut accepi, ita trado.

Innocentius X. antequam Pontificatus dignitatem adipiſceretur, appellabatur Joannes Baptiſta Pamphilius. Hodie enim Pontificibus mos eſt nomen mutare: pleriq; ſcribunt Sergium II, quia vile ei nomen erat, primum ejuſmodi

Digitized by Google

modi mutationis eſſe auctorem : Onuphrius Panuinus non Sergium ſed Joannem 12. illam mutationem incepiſſe prodit. Nomen Innocentij ſumpſit propter Innocentium 8. à quo origo claritatis familiæ Pamphiliorum deſluxit: ille enim patruum ejus Hieronymum Pamphilium in purpuratorum Collegium cooptavit. Erat hic Pontifex natione Romanus, genere Nobilis, è gente Pamphiliorum, quæ orta eſt ex Ducatu Urbinati; Unde avus ejus tempore Innocentii 8. Romam commigravit, ut ibi commodius vivere poſſet: quod ſatis feliciter illi evenit: nam hæc familia poſtea præclariſſimas Romanas Familias, ut Porcianos, Buffalos & Matthæos affinitate ſibi junxit. Natus eſt Anno 1574; Pater ejus dicebatur Camillus Pamphilius. Mater erat è gente Buffalorum. Habebat fratrem, qui matrimonio ſibi junxit Olympiam Maldechinam locupletiſſimam fœminam, adjuvante Magno Hetruriæ Duce Ferdinando II. cui puer nobilis fuerat, & curante Olympiæ avunculo Paulo Gvaltiero. Illa jam antè ditiſſimo cuidam viro nupſerat, qui unico filio amiſſo, ſine prole deceſſit: Hinc Olympia adeò patrimonium duplicavit, ut ſuæ nuptiæ verum magnitudinis Familiæ Pamphiliorum auſpicium dici

poſſint

Digitized by Google

poſſint. Illa deinde inopiam Joannis Baptiſtæ nunc dicti Innoc. X. adjuvit, eiq; pecuniam dedit mutuam, quâ ſibi conficeret Clericatum Cameræ. Qui ejuſmodi officium poſſident iis facilè eſt dignitatem purpuræ conſequi. Pontifices enim iis hoc honore onuſtis factis, denuò officium aliis vendendi multumq; exinde lucrandi copiam habent.

Accepit itaq; purpuræ honorem ab Urbano 8., & poſt ipſius obitum ad ſummum Pontificatum pervenit. Plerumq; in electione Pontificum virtuti & meritis parum loci datur, cum ea in iis elucent, quæ defuncti Pontificis nepotibus, Propinquis atq; Principibus obeſſe poſſint. Hoc erat, cur Sachettus Vir meritis & virtutibus clarus hac dignitate in illo conclavi arceretur & hic, cum ageret 72. annum voti compos fieret. Principio tamen ei parum favebatur. Quidam ex ipſius vultu divinabant animum ei eſſe obſtinatum & mores huic dignitati ineptos. Alÿ conjiciebant fore, ut omnia muliebri Imperio ſubjicerentur, cum Olympiam defuncti Fratris viduam unicè diligeret, omniaq; intima ſecum communicaret, illaq; ſpiritus altos ac vehementes gereret. Alÿ prædicebant fore, quia nullâ eruditione præter legum peri-

Digitized by Google

tiam imbutus erat, ut nullos viros eminentes legum imperitos benevolentia complecteretur, atq; ita ſedem Apoſtolicam omnium odio exponeret, omniaq; litibus impleret. Cardinalis Antonius Barberinus non ſolum ipſe omnem movit lapidem, ne ad hoc potentiæ culmen eveniret, ſed etiam Regem Galliæ adduxit, ut impedimenta ejus electioni objiceret. Dicunt cauſam fuiſſe, cur Antonius tam vehementer hujus felicitati reſtiterit, quod hujus ſororis filius juſſu Antonii Mediolani occiſus crederetur. Serviverat ille Antonio, & poſt parum gratioſam dimisſionem malè de illo locutus erat, quo ſibi dictam internecionem attraxiſſe hicq; Pontifex tunc Cardinalis illam injuriam dextrè disſimulaſſe ſpargitur: Barberini enim ut Urbani VIII. Fratris Filii Romæ omnia pro lubitu moderabantur. An hæc ita ſe habeant affirmare non auſim, tantum ex fama hæc ſcribo. Franciscus Barberinus adjuviſſe ejus promotionem dicitur: ſi ille obſtacula objicere voluiſſet, facilè excluſus fuiſſet. Hiſpani apud quos tempore Gregorii XV. in Regno Neapolitano & Urbani 8. in Hiſpania Nuncius fuerat, & quorum gratiam tunc haud nimis rigidum ſe in defendenda juriſdict: Eccleſiaſtica præſtando meruerat,

ruerat, illi ſtudebant in conclavi. Magnus Hetruriæ Dux valdè etiam ejus commodo favebat & Sacchettum morum integritate conſpicuum, & huic dignitati jam propinquum ab omni ſpe dimovebat. Dicunt, eum, cum adhuc Cardinalis eſſet, pauci fuiſſe ſermonis & uſum domeſtici miniſterij familiaribus non multum prudentibus, ne ipſius ineptitudo illis innoteſceret: addunt parcum ejus ſermonem, & ſimulare diſſimulareq; ſtraviſſe ei viam ad ſummam illam, qua deinde ornatus eſt, dignitatem. Pontificatu adepto, non inultum paſſus eſt id quod C. Antonius, contra illum in Conclavi tentarat; graviter enim Barberinos perſequebatur. At Antonius ne cogeretur rationem reddere eorum quæ ſub Patruo Urbano 8. geſſerat, fugâ ſalutem quæſivit & in Galliam ſe recepit. Idem tandem fecerunt Taddæus, & Cardinalis Franciſcus; Omnes tamen ante ejus obitum fuere ei reconciliati & Romam reverſi. Quod attinet mores bujus Pontificis: Erat triſtis & moroſus vultu, neq; victu delicatus, gloriæ cupidus, propriis opinionibus amicus, alloquio gravis & circumſpectus, ne aliquis ejus animi ſenſa penetraret: facetiis & jocis alienus, lentus ad ſtatuendum aliquid, & valdè avarus: adeò pe-

 cunia

Digitized by Google

cuniæ parcus ac tenax dicebatur, ut ferè in neminem liberalis exiſteret. Profitebatur apertè ſe ægrè ferre, ſi ſollicitationibus gratiæ moleſtaretur. Facilius illis ſatisfaciebat, qui aliquid arroganter ab eo, quam iis, qui ſubmiſsè petebant gratiam. Aulæ impenſis modum ſtatuit & ordinavit, quantum ad proprium ejus victum expendi deberet; diminuit ſalaria ſuorum miniſtrorum; accidit munificentiam, quâ alii Pontifices benè de Eccleſiâ Romanâ meritorum & exulum inopiam ſuſtentaverant: Subvenit tamen illis transferendo ad eos diverſas eleemoſynas locis piis ab aliis Pontificibus deſtinatas, & illud quod detraxit mercedi ſuorum. Adeò contrectandæ pecuniæ cupidine incenſus erat, ut in neminem beneficia conferret, niſi illa largitionibus compararentur. Ultimo ſupplicio digni abſolutionem pecuniâ mercari poterant. Increpaſſe dicitur interdum miniſtros, quod non ſatis graviter delinquentes multaſſent. Fama erat, Gubernatorem Romæ unum è conſortibus delictorum â Mascambruno commiſſorum, relegaſſe, eundemq; decem millibus ſcutatorum & alterum ejusdemq; delicti conſcium tribus millibus ſcutatorum multaſſe: Quam multam Pontifici non ſatis duram viſam,

Digitized by Google

ſam, increpaſſe ideò gubernatorem, quare ipſum Maſcambrunum capitis damnaſſet & hos tàm clementer tractaſſet: Maſcumbruni tamen condemnatione offendi non poterat, quoniam ea ejus authoritate erat facta, ideò tantum hanc benignam multam ejus uſiſſe animum dicebant. Opera pretium eſt hic Maſcambruni facinora tangere, ut Principes videant quam periculoſum ſit infimæ conditionis homines magnis officiis præficere & præſertim cum plus iis fidunt, quam illis quibus tales ſubſunt & qui illorum facinora impedire debent. Erat Hic vili genere; ex Marchia Ancontina Puer Romam venit, & ibi ſervivit cuidam claro Advocato Conſiſtoriali, cui Maſcambruni nomen erat: qui videns eum bono ingenio eſſe, curavit, ut literis operam daret. Ille in iis ita profecit, ut poſt obitum iſtius Maſcambruni, hæres ipſius Clientum & nominis fieret. Defendebat cauſam, quam tempore Urbani 8. Princeps Juſtinianus contra ſuum patrem habebat, quamobrem ſibi acquiſivit benevolentiam Pontificis, qui tunc Cardinalis erat, & ab eodem poſtquam Pontifex factus eſt, ſubdatarij officium accepit; & tàm magni factus ab eo eſt, ut maxima negotia illi committere non vereretur,

 Illeq́;

Illeq; longè plus auctoritatis quam ipſe datarius Cardinalis Cecbinus baberet, Pontifex nomen ſuum libellis ſine eorum lectione ſubſcriberet, neminiq; præter hunc, cum ægrotaret, aditum ad ſe permitteret: imò brevi purpurâ ornatus fuiſſet, niſi ejus ſcelera, doli & impoſturæ detectæ fuiſſent. Ab Olympia plurimi etiam fiebat, quoniam ei in Sacrilega rerum ſacrarum nundinatione utiliſſimus erat: aſſerebat ſe nihil ex ejusmodi commercio lucri capere, ſed ſolum Olympiæ commodis ſtudere: particeps tamen Olympiæ voluntate fiebat multorum donorum. Poſtquam illa Pontificis gratia excidiſſet, neminem habebat, cumquo Simoniæ lucra partiretur, ideò proprio tantum commodo inbiabat, & fretus Pontificis favore ferè publicè nundinationes beneficiorum, gratiarum & ſimilium faciebat. Omnes admirabantur Pontificem hæc ſcandala ferre, neq; remedium iis applicare. Ille autem interea ferè theſaurum & ſpatio duorum annorum poſt mutatam Olympiæ fortunam ultra pretioſa ſuppellectilia accumulavit 150. millia Scutatorum. Libelli, quos Pontifici ad ſubſcribendum tradidit, non complerunt totam paginam, ſed inter eorum concluſionem & Pontificis ſubſcriptionem aliquid

quid

quid ſpatii relinqui curavit, libellos poſtea abſcidit. & illi ſpatio ea, quæ voluit, per eum qui ei erat ab hoc miniſterio, inſcribi juſſit. Uſus eſt charta Genuenſi, cujus folia valdè ſunt ampla: Alii officiales per quorum manus poſtea ea adhuc tranſibant, admirabantur quidem hæc inſolita Simoniæ genera, videntes tamen Pontificis ſubſcriptionem, non ſuſpicabantur falſi crimen. Pœna Sodomiæ pertinet ad tribunal Eccleſiaſticum, quod appellant ſanctum officium, & non ad forum ſeculare: Luſitanus quidem nobilis hoc delicto fœdatus Romam ivit, & 12. millibus doppiarum Hiſpan: obtinuit â Maſcambruno, ut Pontificem adduceret, cognitio iſtius cauſæ remitteretur ad judicem ſecularem: putans fore ut facilius abſolveretur. Ille iterum eadem arte uſus Pontificis ſubſcriptionem impetravit. Sed exinde officiales animadverterunt, fraudem ſubeſſe; itaq; omnia brevi fuere detecta, illeq; gratia Pontificis ſpoliatus ſcelera capitis pœna expiavit. Hæc ita commemorari audivi, & in quodam M. S. ita deſcribi vidi. Cardinalis Cecchinus, cujus inſpectioni erat ſubjectus, perdebat eandem ob cauſam gratiam Pontificis valdè ipſius negligentiam culpantis: Multi tamen dicunt, illum

Car-

Digitized by Google

nalem ſepè patefeciſſe Pontifici malitiam iſtius hominis, illum verò putaſſe id ex invidia alterũ in tam magna apud ſe eſſe gratia, profectum. Dicunt Pontificem aliquandiu uſum fuiſſe miniſtris crudelibus & ſuæ cupiditati inſervientibus, ut eò faciliùs auri cumulum congerere poſſet: Addunt eundem ſeptem annorum ſpatio centum & 20. myriades Scutatorum ſibi confeciſſe ex ſolis mulctis: Non minorem ſummam eum in ſequentibus imperii ſui annis conflaſſe veriſimile eſt. Miniſtri abuſi ejus voluntate adeò exceſſerunt, ut ipſius honos non parum hoc ipſo inquinatus fuerit. Putavit tamen ille ac replicavit querentibus, juſtitiam ſanctiſſimè adminiſtrari.

Hic Pontifex faſtidioſa ac moleſta diligenter evitabat, laboribus libenter abſtinebat, ut diutius vivere poſſet: pleraq; negotia à ſe ad Cardinalium congregationes & concilia transferebat, & intereà ſe recreabat: nemo tamen inſcio eo aliquid facere audebat; omnia, quæ Cardinales ac miniſtri definiverant, revidebat, & cum illi aliquid definiſſent, quod ſatis illi non arrideret, correxit illud, neq; abſtinuit illos ignorantiæ arguere. Omnia ita ſuo ſolo arbitrio diſponebat, nemine contra illud hiſcere audente:

dente: Nemini, neq; ipſis Legatis partebat. Ex palatio Regis Galliæ Legati, multos Neapolitanos, qui nocte in plateis quadam fecerant latrocinia, in carcerem deduci juſsit, etiamſi ejuſmodi injuria domui legati illata regem Galliæ offenderet: Magnis n. gaudent Legati Privilegiis Romæ: tamen vix adduci potuit ut hanc injuriam utcunq; excuſaret: parùm mitius habuit Hiſpanorum legatum. Dies, quibus Legatis aditus ad Pontifices permittitur, plerumq; in inquiſitionem novorum impendebat, & hac ratione legatis occaſionem, quantum fieri poterat, eripiebat negotia tractandi vel aliquid ab eo petendi. Legati de hoc valdè conqueſti ſunt. Interdum ſpem in colloquiis illis faciebat idconcedendi, quod poſtulaverant, ſed in fine ſe eluſos viderunt: ſiq; ea tandem obtinerentur, tarditate ſuâ penè ad nihilum redigebantur. Dicunt eum haud animi magnitudine ſed potius temporis felicitate fretum propoſita ipſius genio repugnantia rejeciſſe: Satis eum facilem fuiſſe, cum de Parmenſis belli eventu dubitaret, & cum Galliæ Plumbinum & Portum Herculis occupaſſent; omnia, quæ tunc Gallis negaſſet, honeſtiſsima ſpecie excuſaſſe, ſed his iterum ab Hiſpanis expugnatis, ſurdas Gallo-

rum

Digitized by Google

rum ſollicitationibus præbuiſſe aures. Principio Hiſpanis addictisſimus & Gallis iniquus credebatur, tamen cum Neapolitani contra Regem Hiſpaniæ rebellarent, liberum introitum Gallis in Aprutium per dominium eccleſiaſticum conceſſit & ante vitæ finem; ut deinde trademus, Gallis ſe addictiorem quam Hiſpanis præbuit. Credebatur arte quadam abjicere ac gratiâ privare illos quibus in expeditionibus odium afferentibus uſus eſſet. Gubernator Romæ Farneſius magno ſe Gallorum odio & malevolentia objecit, quod juſſu Pontificis in carcerem ex ipſo legati Galliæ Palatio Neapolitanos, de quibus ſupra ègi, abduci jusſiſſet. Idem & Hiſpanos ſimili mandato ſibi inimicos reddidit, deinde Pontifex illum ab hoc officio dimovit, & arte omne odium, quod ſibi ipſi attraxerat, in hunc declinavit. In multis tamen huic Pontifici debentur magnæ laudes. Urbi Romæ & dominio Eccleſiaſtico optimè præfuit, ejusq; commodo valdè ſtuduit: juſtitiam præſertim in criminalibus ſummo vigore adminiſtrari curavit, quod in Italia ſummè eſt neceſſarium. Exactisſimè minima Regimen Romæ, & dominium Eccleſiaſticum concernentia cognoſcere, nec ſuis fidere voluit. Sæpius quod ab uno ad illum referebatur

tur

Digitized by Google

tur, ab aliiis denuò diligentiſſimè percontaba-tur, antequam animi ſententiam declararet. Solitus eſt principio patientiſſimè libellorum à Privatis oblatorum lectionem ipſe audire & valdè animum iis applicare, imò ſæpè ipſe privatorum vivâ voce prolatas querelas, cum domo exire vellet, ſentire: Inde multum amoris conſecutus eſt; cujus tamen deinde faſtidium illum cepit. Parũ novis oneribus & tributis ſubditos emunxit, nobilitatem Romanam adjuvit: illos tamen, qui ex ea in ſolvendis debitis negligentes erant, ad ſolutionem, adegit: aliquot Monachorum ordines extinxit, illosq́; intra definitum numerum coërcere allaboravit: Jeſuitis haud nimium tribuit, & interdum illud quod illi propoſuerunt cum deriſione rejecit. Veniebat quidem ex illorum ſocietate Romam puerum Chinenſem ex China adducens: Pater ille præ ſe ferebat, eum eſſe à Regina ad Religionem Chriſtianam propenſa Romam miſſum; ſollicitabant Jeſuitæ, tractaretur & exciperetur veluti Reginæ Legatus, at nunquam illorũ deſiderio Pontifex ſatisfecit: addunt eum dixiſſe, ſi ea feciſſet, quæ Jeſuitæ ſæpe deſideraſſent, ſe omnibus fore irriſui & deſpicatui. In multis, aliis illorum conatum ipſi diſplicuiſſe audivi. Parvam

tamen

tamen curam tuendæ totius Chriſtiani orbis, ſalutis & componendorum Chriſtianis modis diſſidiorum in Eccleſia Dei & finiendi belli inter Hiſpanos & Gallos habuit. Cum adhuc Cardinalis eſſet quæſitum eſt è quodam purpurato Patre quid judicaret de eo, reſpondit, lepidè intuitu eorum, quæ dixi, eum fore egregium Pontificem usq; ad pontem Milvium. Quietis & pacis Italiæ & præſertim ſui Dominii fuit amator; hinc turbis Neapolitanis noluit ſe immiſcere: quamvis illud regnum ſit feudum Eccleſiæ, illudq; tum temporis facilè dominio Eccleſiaſtico adjici potuiſſet: tamen, quia Hiſpanis devinctus erat, illudq; obſtacula ejus deſiderio auri cumulum congerendi, objeciſſet, & novum belli incendium in tota Italia feciſſet, abſtinuit ejusmodi conatibus, conſiderans boni eventus incertitudinem; Paulumq; IV. propoſitum illud Regnum ſibi ſubjiciendi malè ſucceſſiſſe, Venetos, aliosq; Italiæ Principes non optare Pontificum potentiam adaugeri. Dicunt Venetos non minori dolore eſſe affectos, quod ducatus urbinas ad Pontifices pervenerit, quam quod nunc maximam Cretæ partem Turcæ illis eripuerint: parum etiam operæ impendebat, ut illi tumultus Neapolitani & rebellio ſedarentur.

Vale.

Digitized by Google

Valetudine ſatis vegetâ utebatur, quamvis interdum Podagrâ paululum infeſtaretur: quod pro ſigno longæ vitæ interpretabatur. Valetudinem optimè, quamquam ſine ope Medicorum, quos irridebat, rexit: pro more tamen illos, cum pranderet & cœnaret, admiſit. Humaniores literas, quibus ipſe alienus erat, parum amabat; placebant illi ſermones de legibus canonicis. A cœna pauliſper conquieſcebat, ſed interjectâ horâ expergiſcebatur, & ad multam noctem in lecto vigilabat & cum Panzerola, deinde illo mortuo, cum Cardinalibus Pamphilio & Ghiſio regni negotia conferebat. Urbem Romam egregiis ædificiis ornavit, nitidiſſimum palatium Pamphilianum in Agonali Foro exſtrui & ante illud obeliſcum Ægyptiacum ex veteri Hippodromo Antonini Caracallæ devectum magnis ſumptibus erigi curavit: Cujus hieroglyphica explicavit Athanaſius Kirchnerus Jeſuita: ſuſtinent illum obeliſcum ſtatuæ flumina repræſentantes, magnâ arte elaboratæ, quarum ora aquas per ſyphunculos intrantes magno ſtrepitu evomunt. Templum Lateranenſe ornatius reddidit, ut & Sancti Petri in Vaticano (quod ſumptu amplitudine, magnificentia, marmoribus & opere longè omnia totius

 orbis

Digitized by Google

orbis templa ſuperat) fabricam diligenter continuavit: ut ſummatim dicam, monumentis novis vel refectis & excultis urbem egregiè exornavit. Principio pontificatus adſumebat ſibi Cardinalem Panzerolam à ſecretioribus conſiliis, qui quidem vili erat genere, excellebat tamen ingenio & aſtutia, & erat apud Pontificem in ſumma gratia; noverat ſe ejus ingenio ita accommodare, ut omnia regni negotia ferè ſolus expediret; ſed poſtea Pontifex incipiebat eum occultô odio proſequi: dicunt id ipſum iſtius Cardinalis obitus cauſam fuiſſe. Deferebat pontifex, poſtquam ad hanc dignitatem eſſet evectus, in prima promotione purpuræ honorem ad fratris filium Principem Pamphilium in eum finem, ut ille tanquã imperii collega pleraq; moderari deberet, ſed ille, cum huic officio eſſet ineptus & continuò à Pontifice correptus, præ timore pleraq; eò deterius faceret, purpuram depoſuit & uxorem duxit: Hinc ſolus Panzerola in maxima ut dixi apud Pontificem erat authoritate; qui caſum ac ruinam ſuam timens, Pontificem arte adduxit, ut Camillum Aſtallium Cardinalem faceret & in nepotem adoptaret; putans Aſtallium rebus, quas nepotes tractant, ineptum, cogi omnia ad ſe deferre,

ſibiq;

ſibique ob acquiſitam dignitatem obligatum ad commoda ſua juvanda etiam poſt pontificis obitum promptum fore; ſpe tamen fruſtratus fuit: multa enim inter illos ſimultates deinde oriebātur & Aſtallius pravis conſiliis Marchionis Caſſarelli & aliorum adductus, cenſebat Panzerolam ſibi debitam authoritatem eripere, ideò peſſimè illi volebat. Pontificem hujus adoptionis paucis interjectis diebus ferè pœnituit, quāvis ipſius creatio magna cum Pompa ac cum eodem apparatu quò Pontificum fratrum aut ſororum filii purpura induuntur facta fuiſſet: tamen cum multi pro more ſolito Pontifici gratularentur, hanc gratulationem ſibi diſplicere, non obſcurè indicavit, reſpondendo, ſe non habere alios nepotes quàm illos quos natura ſibi dediſſet, ſeque eundem tantum in familiam induxiſſe. Hic Aſtallius, nunc dictus Cardinalis Pamphilius, eſt nobilis Romanus, ipſius familia valdè ære alieno gravata erat, & cum ferè deſperaret ex inopinato Pontifex hunc, qui nullis meritis clarus, & quo pontifex nunquam familiariter uſus erat, ex infima fortuna ad hanc dignitatem evexit: dicunt eum tunc fuiſſe mediocriter & quantum prælato ſufficit doctum, ſed rerum uſu deſtitutum. Principium hujus

felicitatis fuit affinitas cum Olympia; Frater enim ipſius duxit uxorem proximâ ſanguinis cognatione ei junctam: ſtudebat pontifex ignobilitatem Olympiæ, nobilibus affinitatibus illuſtrem facere: Hic Aſtallius poſt fratris matrimonium ſuaſu Olympiæ conſumpſit ferè totius familiæ facultates, ut ſibi conficeret clericatum Cameræ, & ſi ille poſt factam emptionem deceſſiſſet, tota ejus domus deſtructa fuiſſet. Hac tamen ratione aditum ſibi in Curiam paravit: Alii dicunt non ope Olympiæ ſed ſolo Panzerolæ favore ad dignitatem illam perveniſſe: Olympiam autem deſtinaſſe illum honorem Cardinali Maldechino & ideò non abſtinuiſſe apertis criminationibus in Panzerolam: qui quamvis in hoc officij genere naturâ ſatis parcus eſſet, & omnes ſuſpectos haberet, hunc tamen in Pontificis gratiam inſinuavit & eidem in futuro conclavi, nepotibus huic negotio aptis, deſtituto perſvaſit, ſummè neceſſarium eſſe, in eorum locum aliquem fidum, qui partium ſuarum princeps eſſe poſſet, ſubſtituere; eundemq́ adduxit ut hunc omnibus aliis anteferret. Legati perſpicientes omnia Panzerolæ artibus eſſe factitata, noluerunt principiò cum hoc veluti cum Pontificis nepote tractare, antequam de Pontificis volunta-

te eſ-

Digitized by Google

te eſſent certiores redditi. Panzerola hoc ipſo in omnium Pontificum propinquorum apertum incurrit odium, qui juncti conabantur ipſius fortunam evertere, & cum periculosè ægrotaret, parabant ſummo labore ipſius ruinam; & quamvis Pontifex, cum adhuc in vivis eſſet, illorum deſiderio non ſatisfaceret, effecerunt tamen, ut defuncti meritorum memoria in Pontifice ſi non extincta valde tamen obſcurata fuerit; commiſit huic Aſtallio dicto Cardinali Pamphilio adminiſtrationem bonorum filio majori natu principis Pamphilij diſtinatorum: quo officio ineptitudinem Principi Pontifex exprobare videbatur. Hujus Cardinalis Aſtallij vel Pamphilij officium erat legatos & alios, quibus rarò aditus ad Pontificem patet, audire. Sed omnia hæc tantùm externâ ſpecie fiebant, illeq; magna authoritate deſtitutus, nihil aliud reſpondere audebat, quam ſe id ad Pontificem relaturum; & ſollicitans ex ipſius relatione nullum capiebat commodum. Communicavit quidem Pontifex cum illo aliqua regni negotia, ſed potius ad docendum eum, quam ad conſilium ejus percipiendum: Ille ſolùm nomen ſuum ſubſcribebat literis, quæ ad nuncios & ad Provinciarum & urbium Præfectos mittebantur: &

Digitized by Google

Ghiſio à Pontifice è Germania, in qua Coloniæ Nuncius erat, revocato, hic ferè nulla alia authoritate, quam titulo nepotis ſplendebat: Ghiſium virum eruditione, rerum uſu & candore inſignem, qui Monaſterii negotiis pacis adfuit & per multos annos Romanæ ſedi multa præſtitit ſervitia, nuncque ipſum pontificatum adeptus eſt, faciebat Pontifex Cardinalem & adſumebat eum à Secretioribus conſiliis: ille maxima negotia expediebat. Legati quidem adhuc viſitabant Cardinalem Pamphilium ac negotia illi commendabant: Sed tandem ante Pontificis obitum omni excidebat gratiâ & Româ abire cogebatur: cauſa perhibetur, quod nonnulla ſecretoria Pontificis conſilia Hiſpanis patefeciſſet; itaque hujus creatio, quam Pontifex initio columnam ſuæ familiæ fore putabat, plus ei obfuit quam profuit. Dicendum nunc aliquid eſt de proxima ſanguinis cognatione, huic Pontifici junctis & quomodo ſe erga illos geſſerit. Incipiam de Olympia, quæ omnibus aliis authoritate & potentiâ apud Pontificem præſtabat. Hæc Olympia eſt ex obſcuro genere Maldachinorum, quod ortum eſſe volunt è familia Sabinacciorum nobilium Peruſiæ. Pater ejus Sforza Maldachinus mediocris fortunæ vir, ſe Viter-

hum

bum recepit, ibiq; Julio Gvaltiero, qui portorium D. Petri ibi conduxerat, adeò fidèliter ſervivit, ut ille hunc cõmodi participem fecerit, tandemque illi filiam mediocriter divitem in matrimonium dederit, ex quo hanc Olympiam tulit. Innocentius, cujus commodo, cum ille adhuc fortunâ parum propitiâ uteretur, illa ſtuduit, non ſe ingratum in illam poſt pontificatum adeptum præſtitit. Pollebat enim aliquando tam magna apud hunc auctoritate, ut nihil ſine illa obtineri poſſet, omniaq; ab illa largitionibus impetrare neceſſe eſſet. Vendebat beneficia vacãtia & ipſas Epiſcopales dignitates ſuo arbitratu: non aliter ædium ſuarum limina calcabantur, quam ſi ipſa fuiſſet Pontificis Nepos. Obtinebat, ut pontifex ejus Fratris filium puerum 14. annorum & ingenio ſtupido præditum purpuræ honore ornaret. Purpuratus Princeps Panzerola primus hujus Pontificis miniſter, frequenter cum ea ſecretiſſima conferre cogebatur: nunquam ferè adibat Pontificem, niſi teneret in manibus faſciculum libellorum; maxima eorum parti, quæ ij continebant, jam ante ipſa deciſionem dederat: multas horas apud Pontificem commorabatur, ut de rebus arduis ſecum ageret; Hæc indignè ferebat tota curia:

Digitized by Google

usq; abſtinebat maledictis & convitiis; omnes admirabantur Pontificis ingenium ita mulie-bri imperio obnoxium. Credebant etiam ſolis Olympiæ artibus eſſe factum, ut Pontifex ſe ira-cundum præberet in Principem Pamphilium, ejusdemq; conjugem: Hæc Olympia varia tamen uſa eſt fortuna. Per continuum ſexennium hujus Pontificis imperii ſumma pollebat poten-tia & authoritate; & ut fœmina ingenio & prudentiâ inſignis ita Pontificem cepit, ut non ſolum cùm ipſe inferiori fortunâ uteretur, ipſiq; domum pro lubitu regeret; ſed etiam poſtea, cum ad ſummum hoc faſtigium evectus eſſet, ita novit ſervire tempori & occaſioni, ut ſibi eãdem authoritatem conſervaret, neque conſideratio talem ejus authoritatem parum eſſe ex di-gnitate Pontificis, neque communes querelæ to-tius aulæ de hoc muliebri imperio & hac ejus ve-nali indole efficere poſſent, ut illa privaretur eâ potentiâ. Deinde tamen omni videbatur excidiſſe gratia: interdicebat enim Pontifex illi aulam. Quidam dicunt cauſam fuiſſe impe-ratorem, qui cum nuncio Pontificis Viennæ Mel-cio dolorem ſuum ſignificaret, quod Pontifex tam ægrè tuliſſet, pacem in Germania eſſe fa-ctam, ut declarationem nullitatis articulorum

iſtius

Digitized by Google

ſtius pacis edidiſſet, dextrè & tectè exprobavit Pontifici hanc imbecillitatem. Alij dicunt ſolum Panzerolam ejus authorem eſſe, cum videret nihil magis ipſius potẽtia obeſſe, quam iſtam mulierem, & exacerbatus eſſet criminationibus ejus propter provectum Aſtallium, in tempore ideo feciſſe ut ſibi ore excideret, ſe infelicitatem principum dolere, qui omnium ultimi certiores fierent de injuriis, quibus illorum majeſtas propter tolerantiam rerum portentoſarum fœdaretur; quod tantum Pontificis animo impresſiſſe fama eſt, ut honoris conſervandi avidus mox cogitaret illam publicorum munerum expertem facere, & præſertim quod illa quotidie ſe magis magisque importunam novis ſollicitationibus præberet; hinc dulcisſimâ, quo potuit, ratione eam ad privatam vitam redegit. Illa hanc fortunæ volubilitatem ſatis æquè tulit: finxit ſe nullo teneri deſiderio ejusmodi occupationes habendi, rarò in publicum cum Pompa venit. Putabant tamen pontificem omnia tantum honoris conſervandi gratia feciſſe, alioquin optimè illi voluiſſe, ac deinde ſemper ejus petitionibus magnum tribuiſſe locum. Tandem etiam illa priſtinum, ſi non potentiæ, gratiæ tamen locum recuperavit. Viri ab animi affectibus

 liberi

Digitized by Google

liberi dicunt hanc fœminam eſſe magnis animi dotibus claram, & niſi illæ avaritiæ macula conſpurcarentur, ei propter ingenii acumen & prudentiam ſummas laudes deberi. Agam nunc de Principe Pamphilio, cujus ſupra mentionem feci: ille eſt Olympiæ & Pontificis fratris filius: relictâ purpurâ matrimonio ſibi copulavit Olympiam Aldobrandinam, Pauli Burgeſii Principis Ruſſani Viduam; quod matrimonium Pontifici principio placuiſſe dicunt, neq; diſplicere potuit: quoniam illud domui Pontificis maximas divitias nempe quadraginta millia ſcutatorum in annuis reditibus ac novum ſplendorem intulit; & inſuper illa Princeps nobilitate, venuſtate, forma nitore & eloquentia clara eſt. Dicunt Principes ſuperiorem haud habentes iſtius nuptias ambiiſſe: tamen illa non ſolùm malè à ſocru habita eſt, ſed parũ etiam ab ipſo marito amatur, imò ſæpe malè tractatur. Poſt dictum matrimonium projicebatur Princeps Pamphilius extra Romam: quidam putant pontificem hoc ipſo voluiſſe oſtendere, ſe magis honori Dei quam familiæ conſervationi ſtudere. Alij dicunt, Aldobrandinam quanquam locupletisſimam, habuiſſe tamen nonnulla debita, quibus privatim & ſine pompa Romæ neceſſaria

vivens

Digitized by Google

vivens facilè liberari poſſet. Veriſimilius eſt, quod alij dicunt, hæc fuiſſe facta præcipuè Olympiæ impulſu, timentis ne Aldobrandina fœmina venuſtate & excelſa indole conſpicua jucundiſſimo conſortio ſe adeò in gratiam Pontificis inſinuaret, ut parva favoris pars ſibi relinqueretur. Addunt Olympiam ut hæc obtineret, Aldobrandinæ fidem conjugalem erga Pamphilium Pontifici ſuſpectam feciſſe, & eidem voluiſſe perſvadere, filium eſſe impotentem & ab adulationibus veneriis ad hoc matrimonium attractum: Tulit Pamphilius ex hoc matrimonio aliquot filios & filias, quo Pontifex mitior redditus, permiſit illis reditum Romam: iraſcebatur tamen & poſtea aliquando Aldobrandinæ, quia illa ferè ſemper pontificis tenacem animum ſollicitando aliquid moleſtaret. Inſtabat illa ut Pontifex fratrem Ducis Parmenſis purpura honeſtaret: at pontifex qui valdè offendit illam familiam, deſtruendo Caſtrum & eripiendo illi Ducatum Caſtrenſem & Principatum Roſſilionenſem, hoc parum ex uſu judicabat. Habet Princeps Pamphilius duas ſorores, quarum major natu in matrimonium data eſt principi Andreæ Juſtiniano. Hic pauper à Marchione Juſtiniano nullos filios habente adoptatus &

magna

Digitized by Google

magnæ opulentiæ hoc ipſo hæres factus. Eſt quidem & hic ex juſtinianorum familia, ſed jam illa duplex & conditione diverſa eſt: hic ex alia linea originem habet. Splendorem his opibꝰ hoc matrimonium propter prærogativas nepotibus pontificum competentes attulit: Sed hoc ipſum divitias ejus haud multiplicaſſe, illumq; & ejus uxorem de tenacitate pontificis & quod ne minima ab eo impetrare poſſent ſæpè queſtos eſſe dicunt; dilexit quidem pontifex ejus uxorem, ſed illiberalem ſe præſtitit.

Minor natu eſt Uxor Nicolai Ludoviſii Principis Plombini, nepotis Gregorii XV, Hic hoc matrimonio plurima ſibi in vanum promiſit. Sperans propter ineptitudinem principis Pamphilij tunc Cardinalis ſe omnia moderaturum, ſed Olympia hoc ipſum impedivit: & cum audiiſſet, illum de hoc ſe queſtum eſſe, dixit ſe debere gratia, quod pontifex illum aliis prætuliſſet, contentum eſſe, & cogitare hoc matrimonio ſe reparaſſe ruinam familiæ, quæ valdè ære alieno laboraſſet. Ille modeſtè hæc tulit, ſed familiaribus ſatis animi dolorem ſæpè ſignificavit, addens hoc matrimonio ſe Gallos Pontifici malevolentes ad adimendum ſibi urbem Plombinum irritaſſe, neque commoda, quæ caperet ex

præ-

præfectura triremiũ Pontificis & ex aliis haud magni momenti officiis compenſare hæc damna. Deinde fortuna Olympiæ mutata etiam non plura commoda à Pontifice obtinere potuit. Unde maximo odio proſecutus eſt Panzerolam, quod pontificem adduxiſſet, ut Haſtallium adoptaret. Perſvaſerat enim ſibi, fore, ut Pontifex hac dignitate ornaret vel Cardinalem Ludoviſium vel Fratrem ſuum Fabium Albergatum Jeſuitam & id facilè ita cecidiſſet, niſi ſimplicitas primo, & ſecundo timor Papæ, ne duorum fratrum apud ſe auctoritatem habentium concurſus, multas moleſtias ſibi crearet, nocuiſſet: prætendit ſe ſatis beneficÿ in Principem contuliſſe permittendo ei, ut Hiſpanis perículoſiſſimo tempore ſeditionis Neapolitanorum ſuccurreret, ex quo putabat multum illum commodi ab Hiſpanis capturum. Cum Hiſpani obſiderent portum Herculis ſub Duce Joanne Auſtrio, miſit ſupplementa militum & ſubminiſtravit obſidentibus illis victum, cum magno Romanorum dolore, qui ipſi annonæ penuria laborabant. Sed Hiſpani forſan putantes ſe compenſaſſe hæc officia ac ſtudia expugnando ac reſtituendo illi Plombinum aut nolentes uni ſoli ſatisfacere, dum pluribus devincti ſunt, ne alios hoc ipſo offenderent, nullis

aliis

Digitized by Google

aliis beneficiis quam ſimplici promiſſo dandi illi (ut vulgò dicitur) in feudum Principatum Salerni gratitudinem ſuam declararunt. Pontifex huic Principi etiam ſpem aliquando fecit fore, ut commendatione & auctoritate ſua honore Præfecturæ claſſis Venetorum condecoraretur: quod tamen non factum eſt.

Habebat & Pontifex ſororem nomine Agatam, quæ aliquot annis natu major erat illo. Illa erat monialis: Pontifex eam interdum ad ſe vocari ad familiare colloquium juſſit. Illam valdè dilexit, cum nullis gratiarum petitionibus, à quibus natura abhorrebat, ſibi moleſtias crearet: de Principe Præneſtino, qui etiam huic Pontifici propinquitate junctus eſt, nil habeo, quod dicam.

Nunc paucis agamus, quomodo ſe erga Principes Romanæ Eccleſiæ addictos geſſerit: Illorum commodo peræquè parum illi curæ ac cordi erat. Alij Pontifices Principum negotiis ad oſtendendum animi magnitudinem plerumq́; intervenerunt, ſed huic nihil aliud majus faſtidium afferebat quam tempus legatos audiendi. Imperatorem diligebat & omnia illi proſpera optabat, cognoſcens illum Eccleſiæ Romanæ eſſe addictiſſimum, ipſiusq́; auctoritate conſervari Eccleſiā

Roma-

Romanæ membra in Germania. Si illa Religionem mutarent privaretur Curia Romana juriſdictione ſpirituali, quam adhuc in multis Provinciis ibidem habet. Eapropter magis Imperatori ſtuduiſſet, niſi illum ſua ſponte proteſtantium progresſibus obſtare ſciviſſet: quamobrem ipſius deſiderio rarò ſatisfaciebat, perſpectum habens hoc eum non offendi, neque adduci, ut in detrimentum Eccleſiæ Romanæ aliquid permitteret. Res admiratione digna erat, Pontificem haud neſcium Imperatorem amore augendæ Religionis Romanæ tot annos belligeraſſe, omnes Germaniæ Provincias fuiſſe crudelisſime cædibus & rapinis oppletas, pecuniâ exhauſtas, imò ferè funditus everſas, & ipſas Provincias Imperatoris hæreditarias partim vaſtatas, partim enervatas, & ipſum Imperatorem in maximo verſari periculo omnia perdere, tamen tam neceſſariam & utilem factam Monaſterii pacem non aliter declaraſſe nullam, quaſi Imperator bellum hoc gesſiſſet aut continuaſſet magnis Romanæ Curiæ ſubſidiis. Obligatum ſe debuiſſet Imperatori profiteri pro tam magno ſtudio in Eccleſiam Romanam; at nihilominus per obliquum non omittebat inquinare ipſius honorem. Quamobrem quidam magnus vir

ſub-

Digitized by Google

ſubridens Legato Venetorum Romæ dixit: cavendum, ne Reſp. Veneta pacem iniret cum Turcis: nam illa cum Religionis detrimento facta protestatione Pontificis interpoſita nulla redderetur. Curiæ Romanæ non ignotum eſt, quibꝰ modis plurima ad Imperium ſpectantia Imperatoribus Pontifices eripuerint & ſibi tribuerint, illosq́; quidem temporum injuria impeditos ablata repetere non depoſuiſſe tamen memoriam eorum, & mutatis temporibus oblataq́; occaſione non omiſſuros priſtina recuperare. Eapropter illorum proſperitatem nunquam optat. Pontifex tamen amabat hunc Imperatorem pietate & virtutibus clarum; neq́; rationem habebat eum & primum ejus ſucceſſorem timendi, quia hoc diuturnum bellum adeo exhauſit Germaniam, ut potius ad alia quam ad recuperationem horum cogitare neceſſe ſit. Imperatores etiam Pontificum ſibi jus illorum electionem confirmandi tribuentium indigent favore: ſed quo jure hanc auctoritatem ſibi arrogent neſcio. Olim ſine Imperatorum benevolentia & conſenſu nemo ad Pontificatus dignitatem evenire poterat.

Multi putabant & Galli querebantur eum ſtudere commodo Hiſpanorum: Sed omnes ſe

dece-

deceperunt. Verum quidem eſt, Pontificis ingenium quam proximè ad Hiſpanorum acceſſiſſe; Sed falſiſſimum eſt eum Hiſpanis plus benefeciſſe quam aliis: commemoravi ſuprà quàm parum operæ impenderit ad ſedandum tumult9 in Regno Neapolitano. Comes Ognati & ejus ſucceſſor Dux Infantado Legati Hiſpaniæ non ſemel queſti ſunt, ſe non ſolum in arduis ſed etiam in parvi momenti rebus nihil potuiſſe ab eo pro Rege Hiſpaniæ obtinere; neq; magis miniſtris Hiſpaniæ fàvebat: nam illorum ſupplicationibus ad impetrandum aliquid pro illis, qui in illorum comitatu erant ſemper minus ſatisfecit, quàm aliorum. Unde Hiſpani jocabantur, dicentes, cùm optimè in illorum nationem affectus Pontifex eos ita tractaret, nihil aliud ab alio non tam benè erga illos animato ſe expectare poſſe, quam ut Roma pellerētur. Creditum fuit Pontificem magna benevolentia Hiſpanos complecti, quod tempore ſeditionis popularis in Regno Neapolitano clam illos commeatus inopia laborantes adjuverit & quod noluerit legatum Luſitaniæ admittere. Sed quod attinet ad primum; idem fecit Gallis: illi enim Romani Nobiles, qui illis adhærebant & ideò ſeditionem popularem fovebant, longè majorem

c fru-

frumnti copiam in Regnum illud miſerunt, & melius Hiſpanis conſuluiſſet, ſi omnibus peræquè ejusmodi commeatus transvectio probibita fuiſſet. Potuiſſent Galli, ſi prudentiùs ſe geßiſſent facilè totum Regnum ſibi ſubjicere & faciliùs poſtea iis fuiſſet Mediolanum occupare totamq́; Italiam interjecto tempore dicto audientem facere. Multi illud periculum Pontifici demonſtrabant & hoc averteret, rogabant: reſpondebat ille, ſe nolle ſe immiſcere ejusmodi motibus. Qui ab ejus parte ſtabant, Hiſpanis tamen oſtēdebant illos Pontifici devinctos eſſe, quod ipſe noluiſſet illud Regnum in ſuam poteſtatem redigere; quod facilè illi fuiſſet. Luſitaniæ Legato aditum permiſiſſet, modò & commodè & ſine offenſione Hiſpanorum fieri potuiſſet: cōmoda, quæ ex Hiſpania Pontifices capiunt, ſunt magna: Hiſpani offenſi, hunc iis privare potuiſſent: expectabat ideò commodius tempus & occaſionē id faciendi & vacantibus Eccleſiis Paſtores conſtituendi in illo Regno.

Galli querebantur de parva benevolentia Pontificis in illos; malè ſibi erant conſcii. Nam 1. conabantur ſollicitatione Cardinalis Antonii ipſius electionem impedire & ſciebant Hiſpanorum ope huic hanc ſummam dignitatem eſſe

datam;

Digitized by Google

datam; & illorum protectione eum prohibitum eſſe à Barberinis exactiſſimam rationem pecuniæ tempore belli Parmenſis expenſæ exigere. Conſtabat illis, occupationem portus Herculis ab illis factam Pontifici eripuiſſe tranquillitatem animi: Non ignorabant quod permiſſione novarum Janſenij opinionum non parum illum turbarent. Notum illis erat illorum Latrocinia in mari Mediterraneo commiſſa, quibus tam amicis quam hoſtib9 incōmodarent, non parum videñ diſplicuiſſe: eapropter firmiter credebant, illorum infortunia & calamitates Pontificē nullo afficere mœrore. Alia poſtea illorū opinionem confirmarunt; inprimis indignus ille mod9 quo Romæ Gubernator uſus ad capiēdū nōnullos Neapolitanos, qui in Legati Galliæ ædibus cōmorabātur. Lictores magnâ militū manu ſtipati, & toto Palatio militib9 ſepto, in illud intrarūt: res quæ nulli Legato unquā Romæ obtigit: omnes admirati ejusmodi injuriā inferri tam magno Regi & Legato Regni de Eccl: Rom: optimè meriti. Omnes magna mala exinde timebant, & ad minimum ſcriptū aliquod à Rege derogans reverētiæ Pontifici debitæ expectabant; ſed aut Gallorū calamitatibus aut illorū nativâ negligentia factum eſt, ut id negotium ſopitum ſit cum ma-

gna honoris Gallorum leſione; & niſi interventu ac cura Legati Venetorum factum fuiſſet, ne quidem apparenter ſatisfactum Legato fuiſſet. Sed id minimè documentum odii in Gallos putabatur, nam idem evenit Legato Hiſpaniæ in ſimili facto: juſſit Pontifex quendam Reum, quem protectione ſua dignabatur Legatus in foro Hiſpanorum, ubi Legati palatium ſitum eſt, vi capi & in vincula conjici, cum magno Legati dolore ac querela. Cæterum in longè meliori conditione Galli apud illum erant, quam Hiſpani; qui, ſi eadem feciſſent, quæ ſæpè Galli, non abſtinuiſſet anathematibus ac diris imprecationibus, ſciens, eos natura procliviores eſſe ad exhibendum reverentiam ſedi Apoſtolicæ & ad timendum cenſuras Eccleſiaſticas; Gallos vero jam aſſvetos ejusmodi rebus eas negligere & pro genio nationis omnia facere. Mazerino malè volebat, tamen ejus fratrem in purpuratorum collegium cooptavit. Dicunt Galli poſt obitum Panzerolæ eum incepiſſe melius illis favere, ſe parva tamen exinde cepiſſe commoda. Tunc etiam Barberini ei reconciliabantur: magnifeciſſe tn. Galli videntur ejus benevolentiam: juſſu Regis publicabatur Bulla, quæ Janſenij opiniones anathemate feriit. Non idem in Belgio Hiſpanico feciſſe Hiſpanos fama eſt. Cum

Cum Regibus Poloniæ propter loci longinquitatem parum negotii tractandum habebat. Amabat Regem Caſimirum, quem, quia Jeſuita fuit, magno ſtudio & amore Eccleſiam Romanam proſequi & conatibus diſſidentium ab iſtis Eccleſiæ dogmatibus impedimenta objecturum putabat. Illius difficilis ac periculoſi Coſaccorum belli non alia cauſa extitit, quam nimius fervor propagandi iſtius Eccleſiæ dogmata & diverſa extinguendi. Coſacci ſunt Græci Eccleſiæ addicti & ademptis templis ſuis aliisq; injuriis adducti illud Bellum auctore & duce Chimelynſchio inceperunt: Parum aut nihil tamen Pontifex Regi illi ad ſatis magnas anguſtias adacto ſumptuum ad illud bellum gerendum ſubminiſtravit.

Inter Electorem Bavariæ aliosq; principes Germaniæ Eccleſiæ Romanæ membra & Pontificem amicitia bona erat. Pontifices eam plurimi faciunt. 1. ut hoc ipſo impediant proteſtantes, ne aliquid in alios moliantur, prævidentes potentiam Pontificis illis fore auxilio. 2. Ut ſemper conatibus Imperatorum nimium ſibi in Pontifices arrogantium hos objicere poſſint: à quâ poſtrema cognitione hunc fuiſſe alienum putant.

Ducem Sabaudiæ in nonnullis offendit & hoc eſt, cur Dux Legatum Româ revocarit neq; alium illuc miſerit. Pontifex his mederi cupiens, libentiſſimè Filium Principis Thomæ honore purpuræ ornaſſet, ſi Galli aut Dux Sabudiæ de hoc eum ſollicitaſſent: Sed Galli maluerunt ad Gallum hanc dignitatē deferri & Ducis mater (ille enim adhuc minorennis erat) ejusdemque conſilium putabant Pontificem ſponte ſua hoc debere facere, plusque ornamenti ac dignitatis ejusmodi promotionem collegio Purpuratorum, quam domui Sabaudiæ afferre, & inſuper diuturno illo bello adeò exhauſtus eſt Dux, ut vix ſumptus Cardinali tam illuſtri genere Romæ neceſſarios ſubminiſtrare posſit; illiq; melius nunc in alia, quam in pompam & apparatum impendi queant.

Vulgò putabatur optima amicitia inter Papam & magnum Hetruriæ Ducem, & reverâ principio Pontifex amore ac benevolentia illum Principem complectebatur, cui devinctus erat: nam ille per ſibi adhærentes multum faverat in conclavi commoda & dignitatem hujus: quamobrem fratrem ejus Principem Joannem Carolum ſolum cum Pamphilio & non ſimul cum aliis dignitate purpuræ honorabat: quod eſt ſignum

ſingu-

ſingularis amoris ac honoris Pontificum; ſed in noviſſimo bello Parmenſi, cum pacis negotia tractarentur, parum quæ illi promiſit, præſtitiſſe dicitur. Poſtea propter confinia nonnulla aliæ diſcordiæ exortæ ſunt: ægrè etiam Magnus Dux tulit, quod Pontifex graviter ejus ſororis filium Parmenſem perſequeretur.

Mantuanum parvi faciebat Pontifex, omniaq; quæ ab eo petebat, ei denegabat: ægrè ferebat, eum ferè diſſolutæ vitæ eſſe, ſuosq; reditus malè conſumere. Duxit ille Archiducis Æniponṫani ſororem in uxorem & illius Imperator ſororem matrimonio ſibi copulavit, qua duplici affinitate ductus, Hiſpanis ſtudere videbatur, qui Gallis Urbem & Caſtellum Caſal eripuerunt & eidem reſtituerunt, quo Gallos, quibus devinctus erat (præcipuo enim illorum auxilio Pater ejus illum ducatum occupavit) graviter offendit: at ante aliquot menſes fuit in Gallia, ibiq; magnificè à Rege exceptus iterum Gallis favere incepit. Timebat Pontifex, cum Hiſpani in urbe Caſal præſidium tenerent, ne principes Italiæ & Reſpublica Veneta fœdus inter ſe contra Hiſpanos inirent, ut impedirent iis in tempore majorem potentiam, illudq; novi incendij in Italia cauſa exiſteret.

Digitized by Google

Duci Mutinenſi parum fidebat prætendenti Comacchium, hoc eſt, partem Ducatus Ferrariæ ad ſe ſpectare & ea propter quærenti occaſionem ſtudio rerum novarum ſuum recuperandi. Voluit Pontifex diſſimulando tegere animi ſenſa, ne cardinalis Eſtenſis, frater Ducis ea penetrare poſſet. Sed id non tanta arte poterat efficere, ut non occaſionem ei daret diſcedendi Roma, ac redeundi Mutinam.

Inter Parmenſem & illum parum confidentia erat, propter ereptum illi Duci Ducatum Caſtrenſem & Principatum Roſſilionenſem. Pacato illo duce ſpatium ei dedit pecuniam cumulandi ad ſolvendum debita præfixa tempore, niſi velit perdere dictum dominium. Avus (niſi fallor) hujus ducis octingenta millia Scutatorum mutua accepit, quæ cum tempore excreverunt in centum 70. Myriades. Mutuò dantibus eam pecuniam obligavit hypothecæ nexu Ducatum Caſtri & Principatum Roſſilionenſem, & inſuper Camera Apoſtolica pro Duce fidejuſſit: cum Parmenſis non ſolveret, interpellarunt illi Pontificem ad ſolutionem; urgebat hic Parmenſem, ut creditoribus ſatisfaceret: nihil obtinens bellum ei inferre coactus eſt, atq; eidem dictum Ducatum cum principatu Roſſilionenſi ademit,

& quia

Digitized by Google

& quia dux Epiſcopum, quem Pontifici addictum, ad eumq́; ideò deferre omnia, quæ ille moliebatur, putabat, interimi juſſit, Epiſcopatum ibi Pontifex extinxit. Eandem ob cauſam etiam Urbanus 8. infeliciter illi duci bellum intulit, nam expugnato Caſtro & ducatu occupato Rempublicam Venetam, Magnum Hetruriæ ducem & Mutinenſem ſibi conſociando erepta recuperavit.

Principio hujus Pontificatus erat optima amicitia inter Rempublicam Venetam & illum: In gratiam Venetorum jubebat in Vaticano reponi ſuo loco picturas repræſentantes fugam Alexandri II. & auxilium Venetorum, quo Imperatoris Friderici Barbaroſſæ iſtius Pontificis hoſtis claſſem victam & filium ejus Ottonem captū, Pontificemq́; in ſuum reſtitutum locum nonnulli ſcribunt. Urbanus verò 8. illam picturam amovere juſſerat, quoniam id quod in illa expreſſum eſt, à veritate Hiſtoriæ longè diſſentire putabat. Triremes ſuas Venetorum Claſſi jungebat ad defenſionem Regni Cretæ contra Turcas; at cum Legati Reipublicæ iſtius majus auxilium rogarent, ac periculum cui totus Chriſtianis orbis, præſertim verò Italiæ ac dominium Eccleſiæ objicerentur, ſi Turca illam

 Inſu-

Inſulam Venetis eriperent, ei demonſtrarent, & indicarent eum ut Eccleſiæ caput teneri avertere ejusmodi pericula, parum gratum iis reſponſum dedit, & ſignificavit ſe plus ad conſervationem proprij Dominij quam ad ulla alia eſſe obligatum. Illa Reſpublica haud nimium defert ad Clerum, ſuaq; jura contra Pontifices ſtrenuè defendit, eapropter curia Romana parum benè illi vult.

Genuenſes principio hujus Pontificatus ſibi promittebant fore, ut facilè obtinerent prærogativas regias, quas jam tempore Urbani 8. anxiè quæſiverunt: petunt enim ut ſuis legatis idem locus concedatur, qui debetur Regum ac Reipublicæ Venetæ Legatis, cum à Pontifice audiuntur; ſed ſpe ſuâ hactenus fruſtrati fuere; quamobrem per aliquod temporis ſpatium nullum legatum Romæ tenuerunt, tandem verò quendã ſub alio titulo illuc remiſerunt, ſperãtes ſe fore voti participes, quia Veneti certi hoc nullum eorum juri ac dignitati allaturũ præjudiciũ, iis nulla objecturi eſſẽt obſtacula, ut aliquod ſubſidiũ ab illa Rep: in bello hoc Turcico obtinere poſſent. Hanc eminentiam Reſpubl: illa quærit, quia ad illam ſpectat Inſula Corſica, cui titulus Regni competit: ambitioſa eſt illa Reſpublica,

quia

quia quamvis redituum publicorum indigentia laboret, divitiis ac nobilitate ſubditorum potens ac clara habetur. Tamen hactenus illum honorem propter Regum impedimenta impetrare non potuit. Lucenſibus aliquantulum malè volebat, quoniam jurisdictionem ſui Epiſcopi violaverant carceri includendo & malè tractando aliquot domeſtici miniſterÿ familiares Cardinalis Franciotti. Hinc Urbanus 8. minabatur ſe anathematis fulmine percuſſurum illam Rempublicam: cœterum illa propter territorÿ anguſtias parum conſideratur. Hæc ſunt, quæ de ejus odio & benevolentia erga Reges Respublicas & Principes vicinos Romanæ Eccleſiæ addictos, partim ex Relatione Juſtiniani Legati Venetorum, partim ex aliis cognovi.

Hic Pontificatui ſummâ cum felicitate præfuit 10. annos 4. menſes & 20. dies. Tantum potentiæ adeptus erat, ut etiam poſt obitum potens prædicari posſit. Diverſis temporibus 30. Cardinales creavit, qui, eo jam è viventium numero ſublato, propter accepta beneficia tenebantur in futuro conclavi ejus familiæ commodo ſtudere. Barberinos in conclavi potentisſimos, quoniam tunc adhuc 33. Cardinales ab Urbano 8. purpura honeſtati in vivis erant, in

gra-

gratiam reſtituit ac ante obitum planè ſibi recõliavit, eamq; reconciliationẽ affinitate confirmavit, & proinde eos in conclavi ſuorum ſtudiis adhærere fecit. Deceſſit anno ætatis 81. die 7. Jan. Dicunt ejus cadaver nulli urnæ incluſum, veluti pauperrimi fuiſſe relictum, & periculum ſubiiſſe ne à muribus arroderetur: Principem Pamphilium recuſaſſe ſumptus illos ad conficiendum eam facere, & cauſam interpoſuiſſe Cameram Apoſtolicam teneri eos dare. Hic felicitatis humanæ vanitatem ac mortalium fatuitatem ridere licet. Pontifex potentia & opibus inclytus, quiq; nulli rei magis quam divitiis cumulandis inhiabat, & hoc ſtudio ita ſe reddebat odioſum, ut ejus manes vix à poſteritatis execratione conquieſcant, his omnibus vix arcam, quâ corpus tegeretur, ab iis, quibus immenſas divitias reliquit, impetrare potuit.

Succesſit nunc huic omnium Cardinalium ſuffragiis, ut ex conclavi videndum eſt, Fabius Ghiſius, qui propter eximias animi dotes, longum rerum uſum eruditionem & pietatem ab omnibus Pontificiis hactenus laudatus eſt: principiò Imperij propinquitate ſibi junctos neq; in aulam admiſit neq; ulla eccleſiaſtica contulit beneficia, quo, ſi ita continuaſſet, nominis immortali-

tatē propter Exempli raritatē ſibi acquiſiviſſet; at jam plurimos ad ſe vocavit, eosq; ut alij Pontifices facere ſoliti ſunt, tractare incepit. Ita difficile eſt in Pontificatus dignitate ab antecedentium deflectere veſtigiis. Ille eſt natione Senenſis, genere nobilis: Pater ejus appellabatur Flavius Chiſius, mater Laura Marſilia. Natus eſt Anno 1599, multa exercuit officia in Curia Romana. Fuit Referendarius unius & alterius ſignaturæ. ViceLegatus Ferrariæ, ViceLegatus & Commiſſarius exercitus Urbani 8 Inquiſitor Melitenſis, Epiſcopus Nardenſis. Nuncius Colonienſis & Nuncius Extraordinarius Monaſterij, ut intereſſet tractationi pacis. Secretarius ſtatus Innocentij X. in quo officio præclarè ſe geſſit. Ab illo Pontifice purpura honeſtabatur & accepit Epiſcopatum Imolæ. Alia de eo addere omitto, quia adhuc vivit, & difficillimum eſt in ejusmodi dignitate unum hominem agere. Neſcimus an poſt obitum talem de ſe relicturus ſit opinionem, qualem ante Pontificatus honorem de ſe dedit. Si id præſtare poſſet, accidiſſet ſeculo noſtro aliquid, quod Poſteritas meritò admiraretur. Boni etiam in hac dignitate tam infelices ſunt, ut ſibi ipſi ſatisfacere, & ea, quæ debent, agere nequeant. Hinc Hadria-

nus

Digitized by Google

nus IV. dixit, miſerum eſſe Pontificum conditionem: quibus facultas rectè faciendi deſit, etiam cum maximè velint & in illud operam impendant: Hinc Marcellus 2. valdè Pontificum conditionem deploravit; & apertè faſſus eſt, ſe non videre, quomodo, qui faſtigium hoc altiſſimum tenerent, ſaluti ſuæ conſulere poſſent. Hinc Pius V. dixit, poſtquam Cardinalis factus eſſet, ſe incepiſſe de ſalute ſua timere, at poſteaquam creatus Pontifex penè de ea deſperare.

De Cardinalium Origine, eorumq; auctoritate.

Primis 9. ſeculis erat poteſtas Pontifices eligendi penes clerum, populum Romanum, ac Imperatores. Nauclerus Vol: 3. Chronol: gener. 28. & Platina, in vita Paſchalis teſtantur, Paſchalem I. nulla Imperatoris auctoritate creatum, Legatos ad Ludovicum miſiſſe, qui ejus rei culpam in clerum & populum rejicerēt & quod ab his coactus eſſet Pontificatum ſuſcipere, Ludovicum reſpondiſſe, Populo ac Clero, Majorum inſtituta ſervanda eſſe, caverent ne deinceps Majeſtatem læderent. Hadrianus II. qui eligebatur Anno C. 867. admodum ſe apud Ludovicum excuſabat, quod ipſius Legati (ut par erat) nun-

nunquam iis, quæ agebantur intereſſe & Imperatoris auctoritatem in creando eo interponere potuiſſent. Legatis autem hâc ratione ſatisfactum eſt, quod dicerent, multitudinis Voluntatem in tanto tumultu moderari haud potuiſſe, eos tamen rectè facturos, ſi Virum optimum quem & Clerus & Populus elegerat, de more Pontificem ſalutarent. Fecere id Legati, quanquam apertè cernerent clerum & populum eligendi Pontificis totam auctoritatem ſibi vendicare, hæc ſcribit Platina in vita Adriani. Hoc tempore inceperunt quidem Pontifices Imperatorum auctoritatem ad hunc Electionis actum ſi non abrogare, labefactare tamen arte, nihilominus Populus quaſi integram ſuam retinuit. Sic legimus apud Sigonium l. 9. de Regno Italiæ, depoſito Benedicto X. à clero & populo in ſede Apoſtolica fuiſſe poſitum Nicolaum II. quod ferè factum eſt Anno C. 1058. ſecundum Onuphrium Panuinum: Et tunc etiam non omnis ad hunc actum Imperatoris poteſtas ſublata fuit: nam pergit Sigonius dicto libro ac dicit. Hunc Nicolaum decretum feciſſe de eligendis Pontificibus, ac in illo decreto imprimis Cardinalibus permiſiſſe Electionem Pontificis Romani ſalvo tamen debito honore ac reverentia Regis Romanorum

Digitized by Google

norum ſc. Henrici. Debilitata tamen multum hoc decreto Imperatorum auctoritate magis ac magis (ut Sigonius allegato libro fatetur) Cardinalium nomen celebrari cœptum eſt. Quandoquam Machiavellus l. 1. Hiſtoriæ Florentinæ docet, Parochos Romæ hunc titulum ſibi asſumpſiſſe, & jam Paſchalis tempore multum ſibi tribuiſſe, ac paulatim ad illud quod nunc adepti, aſpirare incepiſſe: In primâ ſanè Eccleſia nomen Cardinalis non ita magnam ſignificabat dignitatem. Qui cum Epiſcopo in Cathedrali Eccleſia inter presbyteros ſedebat dicebatur Cardinalis, Baron: tom: 2. annal: ſub ann: C. 253. Tomo 4. ſub anno 382. refutat illos, qui dicunt Hieronymum à Damaſo Cardinalem fuiſſe creatum Tomo 5. ſub anno 431. fatetur eos minores Epiſcopis fuiſſe. Onuphrius Panuimus ſcribit in libello de Interpretatione vocum obſcurarum Eccleſiaſticarum à D. Gregorio Cardinalem dictum fuiſſe Presbyterum vel Diaconum, qui certæ alicui Eccleſiæ vel Diaconiæ proprius & ad certi alicujus tituli ſive Eccleſiæ miniſterium ordinatus, inſertus, annexus, ſeu ut Gregorius loquitur, incardinatus fuit. D. Gregorius in Explicat: ſupra l. 1. Regum c. 2. utitur etiam hac voce, & intelligit per hanc prædicato-

citores. Primum hæc vox in concilio Romano ſub Sylveſtro 1. reperitur. Sed qui poſt Paſchalem I. aut Nicolaum 2. hoc titulo ſplendore pedetentim majorem Epiſcopis imò Archiepiſcopis dignitatem ſibi arrogarunt: (hinc Concilij Trid. Patres definire noluerunt, an Epiſcopi jure divino ſint) ac in tantum ambitioni frenos laxarunt, ut etiam Imperatoribus ac Romano populo omnes ſuum jus Pontifices eligendi aut confirmandi penitus eripuerint, quod tamen primus omnium Gregorius 7. dictus alias Hildebrandus ad finem perduxit, de quo Onuphrius Panuinus in vita ipſius ita: Primus omnium, inquit, Romanorum Pontificum Greg. VII. armis Normannorum fretus, opibus Comitiſſæ Mathildis, Mulieris per Italiam potentisſimæ confiſus, diſcordiaq́ Germanorum Principum bello civili laborantium inflammatus, præter majorum morem contempta Imperatoris auctoritate, quum ſummum Pontificatum obtinuisſet, Cæſarem ipſum à quo ſi non electus, ſaltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare, ſed etiam regno imperioq́ privare auſus eſt. Idem teſtatur Lambertus Schafneburgenſis qui eô fermè tempore vixit, idem Sigebertus Gemblacenſis ac Marianus Scotus. Poſt hunc Imperatores

d tores

tores parum in Electionis Pontificum actu dicendum habuerunt. Poſtea ceremoniale Romanum vocare Cardinales incepit, Conjudices terræ, Mundi Cardines & Regum ſimiles: & Cardinales eos nunc appellant, quod ceu Cardines ſunt, ſuper quos totus verſatur orbis. Pontifices eos & Epiſcopos appellant fratres, Imperatores verò & Reges filios. Urbanus VIII. iis dedit titulum Eminentiſſimorum. Non dubitant illi cum Regibus de loco certare: Hinc ſi Rex in convivio ſolemni, quod die coronationis Pontificis inſtituitur, adſit, locus ei datur in menſa poſt primum Cardinalem Epiſcopum. Si plures adſint Reges, mixtim ſedent cum Cardinalibus, hi tamen primum tenent locum. Primogenitus Regis ſedet poſt presbyterum Cardinalem, & non inter Epiſcopos Cardinales & hoc etiam fit in aliis publicis actibus, ut videbis hæc in libro ſacrar: ceremoniarum à Chriſtophoro Marcello Epiſcopo Corcyrenſi deſcripta. Volunt etiam, ut Reges in Sacello Pontificis ſub Cardinale Decano locum teneant. Vidi nuper Chriſtinam Reginam Sveciæ in Sixti Sacello, illa tamen nō ibi ſed alibi & peculiarem honoratiorem occupabat locū. Illa etiam in proprio conclavi, cum viſitaretur à Cardinalibus, primum tenebat

Digitized by Google

bat locum: Sella etiam, cui inſidebat, ex pretioſiori materia erat confecta, quam illæ, quibus Cardinales utebãtur. Excipiebat illa eos in proximo cõclavi, quod ante illud erat, ubi viſitationes accipiebat, & deinde comitabatur eos usq; ad dictum conclave. Omnes etiam maximæ cõditiones homines, qui Romæ curribus per plateas vehuntur, curſum ſiſtere tenẽtur, quo Cardinalibus asſurgendo ac cernuando honos præbeatur. Omnia ſunt in hàc curia ceremoniarum plenisſima, ut videre potes ex libris ceremonialibus & ex curia Romana Hieronymi Lunadori, & ex alio libello, cui titulus Maeſtro di Camera; ſi ſatis otij habuisſem, notatu dignisſima ex iis exſcripſiſſem & latina reddidisſem. In viſitationibus Cardinalium, eorum promotionibus, in Sacellis Pontificum, in Jubileis, in coronatione Pontificum, cum Porta Sancta aperitur & clauditur, cum aliquis ſanctorum numero à Pontifice jungitur, cum Legati recipiuntur, iis obviamitur & cum ad Pontificẽ admittuntur, cum aliquem comitantur; in benedictionibus ſolemnib9, quas Pontifices ter ſingulis annis faciunt: in creationibus Episcoporum & Archiepiscoporum, in ingreſſu & exitu ex conclàvi, in ſolemnibus equitationibus aliisq; id genus, tot ac tanta ob-

 ſer-

Digitized by Google

ſervanda ſunt, ut unius hominis vita haud ſufficiat ad addiſcenda ea; Hinc Pontifex quatuor ceremoniarum Magiſtris utitur, ſine illis Pontifex & Cardinales ſæpius graviſſimè in ceremoniarum leges impingerent. Habent etiam peculiarem congregationem de ritibus, quæ ſingulis menſibus ſemel tenetur. Si Legati vel Principes in minimis hiſce nugis minimum errorem committant & ita debitam reverentiam cardinalibus haud exhibeant, pro levibus noxis plumbeas iras gerunt. De hac Cardinalium ambitione & typho Petrarcha in quadam Epiſtola eleganter queritur: & Clemanges libro de corrupto Eccleſiæ ſtatu: ſi, inquit, artifex quiſpiam vellet ſuperbiæ ſimulachrum effingere, nulla congruentius ratione id facere poſſet, quam Cardinalis effigiem oculis intuentium objectando. Jure illud Euripidis Iphigen: act. 2. nunc cani poteſt:

Τὸ μαντικὸν πᾶν σπέρμα, φιλότιμον κακόν.
Omne genus vatũ, gloriæ eſt avidum malũ.

De illorum veſtibus, petaſo, lacerna & Mula, vide Lunadori curiam Romanam & il Maeſtro di Camera c. 6. & 7. non ejuſdem coloris veſtibus per totum utuntur annum. Magnã obtinent ij auctoritatem, omniaq; ea, quæ olim Pontifices

per

per Synodos procurabant, nunc per hos faciunt. Extat in collectione canonum Cardinalis Deusdedit & in libro diurno Bibliotheca Vaticana vetus formula juramenti, quod Pontifices præſtant, ſe miniſterium ſuum Cardinalium conſilio geſturos. Unde in decretal: & Clementinis plurima conſtitutiones eorum conſenſu facta dicuntur, & jam à Petri Damiani temporibus hoc eſt Anno 1061, tantum ſibi arrogarunt, ut Damianus dixerit, Patriarcharum & Primatum jura tranſcendunt, & ſuper ipſo quoq; Pontifice authenticam prævalent proferre cenſuram. Hinc Johannes de Turrecremata l. 1. de Eccleſ. c. 80. Cardinalium, inquit conſilio & aſſenſu Pontifex regit, diſponit ac gubernat univerſalem Eccleſiam. Hæc tamen hodiè mutata ſunt. Pontifices quidem illorum conſilio utuntur, ſed ſine illorum aſſenſu omnia pro lubitu ordinare poſſunt, ut teſtantur Bellarminus, Azorius & alij. vid. Azor. juſtit. moral: p: 2. l. 4. & Bellarm. de Cleric. l. 1. Obtinetur nunc hæc dignitas diverſis modis. 1. Pontificum fratrum ac ſororum filij aut his deficientibus propinquitate proximi à Pōtificibus ad hanc dignitatem evehuntur. Interdum etiam ſimul cum illis magnus aliquis Princeps. Sic Innocentius X. in prima promo-

Digitized by Google

tione ſimul Pamphilium fratris filium & Magni Hetruriæ Ducis fratrem purpura ornabat. 2. Cum pontifices jam funeri propiores pecuniam ante obitum ad ditandos proxima agnatione & cognatione conjunctos coacervare laborant, tūc plerumq; illos, qui vulgò appellantur Auditor Cameræ, Præfectus Theſauri Cameræ Apoſtolicæ, & aliquot ex illis, qui Clerici Cameræ dicuntur purpura honeſtant atq; illorum officia aliis vendunt. 3. Poteſt aliquis hanc dignitatem ſollicitatione ac precibus Regum à pontifice impetrare. 4. Pontifex hunc honorem defert ad Viros benè de ſe meritos, veluti ad Nuncios & alios id genus homines, qui poſtea in conclavi Fratrum Pontificis Filÿs & ejus propinquis adhærent: tamē illi interdum parum grati ſunt, ſolumq; proprio commodo attendunt. Sæpè etiam Regum fratres ac filÿ ad hanc dignitatem promoventur. Sic noſtra ætate Caſimirum, qui nunc Poloniæ Rex eſt, & frater Regis Hiſpaniæ hunc titulum habuerunt. Faciunt id pontifices ut majorem huic collegio ſplendorem mutuentur & reges Principesque ſibi magis obſtrictos habeant. Sæpè in hoc collegio nonnulli eruditione & rerū uſu clari ſunt; non rarò etiam propter nummos, quos vacantibus & venditis officiis

ciis, ut dixi, pontifices lucrantur, coaptantur in illud viri, qui omnibus pudori & ludibrio ſunt, non tantum propter generis vilitatem, ſed etiam propter ignorantiam & mores corruptos. Urbanus 8. multos ex Plebeia familia hac dignitate ornavit. Rapacciolus eſt mercatoris, Panzerola Sartoris filius. Maculanus & Ginettus ex plebeja familia ſunt. Polus præter ſcientiam rei familiaris, omnium rerum imperitiſſimus habebatur. Falconierus literarũ ignariſſimus putabatur. Franciſcus Barberinus adoleſcens hanc dignitatem accipiebat. Innocentius X. Maldachinum puerum 14. annorum & ferè ſtupidum eadem ornavit dignitate. Plerique ſatis magnificè ac laxè habitant. Quando prodeunt in publicum, per plateas ſplendidè domeſtici miniſterij familiaribus ſtipati vehuntur. Neque tamen pauci egeſtate laborant & ſplendidam ſuam miſeriam ope Regum Hiſpaniæ aut Galliæ utcunque tolerant. Hoc etiam de illorum moribus obſervatu dignum eſt, eos artem disſimulãdi adeò callere, ut ipſam abſolviſſe videantur. Blandi & inſidioſi alloquio ſunt, & ſæpius illis, quos maximè oderunt, quammaximè ablandiuntur. Ab ipſis Pontificibus vix aliquid certi aliquis ſibi promittere poteſt, nam

ſæpius ſi illis, erga quos ante obtentum pontificatum optimè affecti fuere, parum poſtea comes ac benevolos præſtant.

Decreto Sixti V. nunc ſunt 70. Cardinales, ſed ille numerus non ſemper exactè obſervatur, ſunt illi in tres ordines diſtincti: primus ordo conſiſtit in 6. Epiſcopis: Secundus in 50. Sacerdotibus, tertius in 14. Diaconis. In concilio Baſilienſi ſtatuebatur, ne plures quam 24. eſſent, ſed illam legem violavit primum Sixtus IV. & Alexander VI, deinde Leo X. (qui una creatione fecit 31) & Paulus IV. Hi defuncto Pontifice ac juſtis funeri ipſius ſolutis conclave intrant juramentoque ſe adſtringunt, ſe ſecundum Præſcripta Bullarum de Eligendo Pontifice creaturos Pontificem. Bullam Gregorij XV. hic adjecimus. Poſtea Princeps Sabellius (majori natu ex illa Familia cura cuſtodiendi conclavis jure hæreditario committitur) & multi alij Prælati, quibus cuſtodia rotarum demandatur, juramentum fidelitatis Decano S. Collegij præſtant. Sunt autem illæ rotæ, quarum mentionem feci, feneſtræ quæ in modum rotarum circumaguntur, quibus cibus ac potus purpuratis patribus inſeritur, nam in conclave nemini aditus patet. Semper ad illas feneſtras unus aut alter

Præ-

Digitized by Google

Prælatus adeſt, qui diligenter proſpicit, ne aliquid prohibiti immittatur. Retinent ſecum P. Patres aliquot Medicos, Chirurgos, Ceremoniarum Magiſtros; aliquem à conſcientia & à Secretis; Et unusqvisq; unum aut alterum domeſtici miniſterij familiarem. Deinde Præfecto ac Magiſtratui Romano ſeriò mandant, ut ſedulò officio ſuo ſede jam vacante fungantur. Hoc facto omnes conclavis portas præter unam muro claudi curant. Sunt inter hos P. Patres ſeu Cardinales magnæ factiones & unaquæq; Principem, quem appellant Italicè il Capo, habet. Sunt illæ factiones, Gallica, Hiſpanica & illorum, qui defuncti Pontificis favore Cardinales creati ſunt. Hi defuncti Papæ propinquis ſtudent, & ſi ille reliquit nepotes Cardinales, tunc aliquis eorum fit Princeps iſtius factionis; iſti omnibus nervis laborant, ut aliquis, qui illis benè velit eligatur; alioquin ſæpius verſantur in periculo, ne rationes anteactæ adminiſtrationis reddere cogantur; plerumque enim novus Pontifex anteceſſoris propinquos odio proſequitur. Ultimum Caraffarum Supplicium id teſtatum facit: Et noſtra ætate Innocentius X. adeò Barberinos perſecutus eſt, ut illi fugâ ſalutem quærere cogerentur. Plerumq; etiam pontificibus conſan-

Digitized by Google

guinitate conjuncti adeò vivis ſuis pontif. poteſtate ſua abutuntur, ut omnium odia in ſe provocent. Hiſpani omnem lapidem movent, ne Galliæ addictus pontifex creetur; Idem contra Hiſpanos moliuntur Galli: ante paucos annos Comes S. Chaumont Galliæ Legatus culpam negligentiæ aut avaritiæ, quod non purpuratum amphibium rebus Hiſpanicis faventem Romæ pontificatus honore arcuiſſet, gratiæ ac famæ jactura expiabat; qui tamen multis ſcriptis Innocentiam ſuam probare conatus eſt. Eligere Regum Galliæ aut Hiſpaniæ inimicum, quando Reges per Legatos contradicunt, non audent: timent ne à ſede Romana deficiant propriumq; ſibi patriarcham conſtituant. Rex Hiſpaniæ multum potentiæ in conclavi habet: nam multi p. patres natione Hiſpani, Neapolitani ac Mediolanenſes ſunt, qui omnes Regi Hiſpaniæ ſubjecti ac plerumq; ejus ſollicitatione purpuræ dignitatem, ejusq; liberalitate opima beneficia Eccleſiaſtica obtinuerunt. Quatuor tantum natione Galli debent hac dignitate ornari; eapropter Rex Galliæ magnam auri ſummam impendat, neceſſe eſt, ut etiam alios ſibi faventes habeat. Imperator ac Reſpublica Veneta factionibus his parum ſe immiſcent, Germani p. patres, qui numero ſemper

per pauci ſunt ſe Hiſpanis adjungunt. In proximo conclavi novo factio & antea nunquam audita exorta eſt, quæ ſibi Italicâ linguâ nomen dabat Squadrone volante, illa neq; Hiſpanis, neq; Gallis, neq; Barberinis, neq; Panphiliĳ ſtudioſis adhærebat; conſtabat illa ex illis Cardinalibus, qui emptione officiorum ad purpuræ dignitatem pervenerant & erat tàm potens, ut ipſis Hiſpanis maximè formidabilis exiſteret, ut videbis ex hoc annexo conclavi. Quid autem Pontificatus candidati obſervandum habeant, ut gratiam ac ſuffragia temporaria obſervantia emereantur, docent manuſcripta Lottiniĳ, Visdomini & aliorum, quæ Romæ circumferri ſolent. Soli nunc Itali ad ſummam hanc Pontificatus dignitatem adſpirare poſſunt: atq; etiam inter illos Veneti ac Genuenſes vix admittuntur. Florentinus ac Senenſibus obſtat propter multas Rationes Magnus Hetruriæ Dux: timendum enim illi eſt, ne hoc ipſum ſibi ſubditis incitamentum ſit ad priſtinam libertatem recuperandam. Hinc Sachettus, bis excluſus fuit. Hinc multi timebant, ne etiàm Ghiſius excluderetur. Purpurati Patres Venetũ haud facilè ad ſummũ hunc dignitatis gradũ evehent: timent enim, ne is ipſi ut membrum Reipublicæ liberæ & ad ipſius conſervationem

Digitized by Google

nem à puero educatus ac aſſuefactus magis Patriæ quàm Status Eccleſiaſtici commodo attenderet. Reſpublica Veneta inſuper difficulter aliquem ſuorum ad hunc honorem admitteret, nam hoc ipſo facilè aliquis ex ſuis civibus pontifici proxima agnatione conjunctus poſſet ad moliendum aliquid contra Patriæ libertatem adduci. Sen. Nobilis Venetus Orator ante aliquot annos apud Urban. 8. à reditu in Patriam Senatui Veneto in MS. Relatione quam de Pontificis ſtatu dedit, ſuadet, ut etiã Nobiles ſuos dignitate purpura probibeat; quia plerumq́; Pontifices beneficiis, quæ illis largiuntur, ſibi illos ita devinciunt, ut magis à parte eorum quàm Reipublicæ ſtent; quo tamen multum Reipublicæ nocere poſſunt.

Potentia Pontificum, & eorum in ſecularibus & ſpiritualibus legibus ſoluta poteſtas.

Quomodo Pontifices eliguntur, cognoſci poteſt ex hoc conclavi & adjecta Bulla Urbani 8. Si ſcire aveas ritus, quibus Purpurati Patres Summum Sacerdotum Principem poſt factam electionem venerantur, lege Relationem Hieronymi Lunadori de Curia Romana & il Maeſtro di Camera. Electus pontifex ſummam in Eccleſiaſti-

ſiaſticis ubiq; apud Romana Eccleſia addictos & in ſecularibus in ſuo dominio obtinet poteſtatem. Quibus modis ad illud potentiæ culmen, quod jam obtinent, Pontifices evenere, explicat Machiavellus l. 1. Hiſtor. Florent: & Franc. Guicciard. l. IV. Hiſtor. Ital: Ille tamen Gvicciardini locus, qui de hoc agit, primum Geneva & deinde à Conringio reſtitutus eſt. De fabuloſa Conſtantini Magni donatione nil quicquam dicere lubet, ne & ipſe nugari videar. Apud Jornandem de Regnorum ſucceſſione legimus Zenonem Theodorico Italiam ceſſiſſe. Paulus Diaconus ſcribit hiſtor: miſcell: l. 16. Theodoricus Italiam ſibi dari poſtulat &c. Pergit; Zeno hæc audiens contriſtatus quidẽ eſt eo quod eum nollet dimittere, attamen deliberato conſilio Reipublicæ utilitati proſpiciens ejus petitionibus annuit, Italicam ei per pragmaticam tribuens. Pontifex tamen non contradixit, quod ſine dubio feciſſet, ſi ejusmodi facta fuiſſet donatio: nec Imperator i Theodorico Italiam cedere potuiſſet; Nam ſecundum Vulgarem Regulam juris: Nemo plus juris in alium transferre poteſt, quam ipſe habet. Quicquid ſit partim liberalitate Imperatorum de qua vid: Helmold. l. 1. Chron: Slav. & Lehmann: l. 2. Chron. Spir. c. 40. partim vi-

frau-

fraude ac dolo ad illam potentiam venerunt, ſpatioſas ac potentes provincias ſibi in Italia ſubjecerunt atq; eò proceſſerunt, ut juriſdictionem in principum Chriſtianorum Regna ac provincias ſibi vindicarint. Hanc auctoritatem in Imperatores conſecuti ſunt arte & fraudibus 1. propter coronationes Imperatorum, qui propter conſtitutionem Caroli Craſſi à pontifice coronari voluerunt: quoniam Carolus M. à Leone coronatus erat, & 2. propter quandam conſtitutionem, quam dicunt à Gregorio V. factam, ut ſolis Germanis liceret principem deligere, qui Cæſar & Romanorum Rex appellatus, tum demum Imperator & Auguſtus haberetur, ſi eum Romanus pontifex coronaſſet: & tandem 3. propter falſam translationem Imperii à Græcis ad Francos à Leone 3. ad Carolum M. factam. At Pontificum coronationem nihil Imperatoribus conferre, Regemq; Romanorum ſolo electionis & ſucceſſionis vigore omnia negotia adminiſtrare, multi abundè demonſtrarunt. Vid. Limnæum l. 2. c. 4. & Reinking. de Regim. ſecul. & Eccleſ. l. 1. Claſſ. 3. c. 8. idq; ita debere eſſe à Lud. IV. Bavaro publica Imperii conſtitutione ſanctum eſt. Vid. Goldaſt. tom. un. conſtit. Imper. pag. 336. Multi etiam Imperatores ejusmodi

coro-

Digitized by Google

coronationes neglexerunt. Ut Rudolphus Habsburgensis, Maximilianus I. Ferdinandus I. & omnes inſequentes. Neq; à Gregorio V. (alij id adſcribunt Gregorio X.) ejusmodi aliquid potuiſſe introduci, patet exinde, quia nunquam id jus habuit: nam antequam eligendi jus ad Electores transferretur, illud ad proceres ſpectabat. Vid. Lehmann. Chron. ſpirenſ. nemo autem aliis concedere aliquid poteſt, quod ipſe non habuit. Ejusmodi tranſlationem propriè nō eſſe factam à Pontifice Nicol. Cuſ. de Concord. Cathol. l. 3. aſſerit: admittendo ea, inquit, quæ de patriciatu Caroli dicta ſunt, non ſequitur, quod ea propter fuit de Græcis Imperium tranſlatum. Et paulo poſt: Ego enim Coloniæ in majori Eccleſia, volumen ingens omnium miſſivarum Adriani primi ad Carolum & ipſius Caroli reſponſiones & inſuper copias omnium Bullarum vidi & fateor, me nunquam tranſlationem illam legiſſe; tamen imperij nomen multum lego commune antiquitus fuiſſe. Carolus ſanè non à Pontifice, ſed à populo Romano dignitatem Imperialem conſecutus eſt, quod omnes Hiſtorici teſtantur. Et ipſe Platina in vita Leonis 3. pontifex, inquit, poſt ſolemnia ſacra populi Romani ſcito ac precibus Carolum magna voce Imperatorē decernit.

Ma-

Marianus Scotus l. 3. Annal. ſub iisdem, inquit, temporibus, Carolus Imperator à Romanis vocatus eſt, & Sigibertus ad ann. 801. Romani, inquit, uno omnium conſenſu Carolo Regi imperatorias laudes acclamant, eumque per manus Leonis Papæ coronant, Cæſarem & Auguſtum appellant. Plura de hac translatione vid: apud Limnæum in addit: ad Libr. 1. cap. 5. Jur. publ. Quid ſibi nunc in Imperatores tribuant, vide apud Azor: part: 2. L. X. Inſtit. moral. Angliam etiam olim à Johanne Rege iis eſſe vectigalem factam, aſſerunt. Hanc donationem ut iniquam Reges qui ſecuti ſunt, non ſervarunt. Vid: Polydor: Virgil: Hiſt. Aug. l. 4. & 5. Rex Henricus 8. Denarium Inæ ſuſtulit. In totum Regnum ut & Scotiam juriſdictionem ſibi tribuebant: at cum Bonifacius 8. in Angliam mitteret ad Eduardum I. ut coram ſe ageret de juribus, quæ ſibi in Regno Scotiæ competere dicebat, recuſabat id conſenſu omnium Regni Procerum: illiq; ſtatuebant Regem ſuper juribus Regni Scotiæ aut aliis ſuis tēporalibus nullo teneri modo corā Pontifice reſpōdere. Vid. Matth. Weſtmonaſter: Hiſtor: Angl: p. 2. pag. 436. & Walſingham in Ypodigm. Neuſtriæ. Cum idem Rex pacem cum Gallis iniret, utrique, inquit,

trans-

Digitized by Google

transmittunt ſolemnes nuncios cum plena poteſtate ad Romanam Curiam, ut per mediationem Apoſtolici, non tanquam judicis, ſed amicabilis compoſitoris, diſcuſſis negotijs pax inter Reges reformaretur. Idē fecit Eduardus 3. & Matth: Paris in vita Guilhelmi 2. Rex, inquit, Guilhelmus, diebat, quod nullus Archiepiſcopus vel Epiſcopus Regni ſui curia Romanæ vel Papæ ſubeſſet; præcipuè cum ipſe omnes libertates haberet in Regno ſuo, quas Imperator vendicabat ſibi in Imperio. Idem ſcribit, Comitem Cornuwalliæ dixiſſe papæ Legato, de terris Laicorum & earum confirmationibus nihil ad vos: de rebus autem Eccleſiaſticis, curam geritis. Hoc jus etiam Pontificibus Baronius in Galliam, Hungariam & Siciliam tribuit. Idem in omnia alia Europæ Chriſtiana Regna illis adſcribit Auguſtinus Steuchus Pontificis Bibliothecarius in Laurent. Vall. Declamat. de Donat: Conſtant. M. l. 11. & Azorius part. 2. l. XI. c. 5. Inſtit. moral. & Bodin. de Republ. l. 1. c. X. vide & Bullam, quæ legitur die Cœnæ Domini, quam in fine huic libello adjunximus. At plurimi Reges non omiſerunt ejusmodi tyrannidi & uſurpationi reſiſtere. Hinc Jacobus Arragoniæ Rex nihil tributi ſe Papæ debere, ſeque nullum recognoſcere in temporalib9

 ſupe-

Digitized by Google

ſuperiorem dicebat, vid. Suritam in Annal: Aragon: l. 3. cap. 87. & Cabrera. l. 9. cap. 22. in Hiſtor. Philippi 2. Regis Hiſpaniæ, ſcribit Hiſpanos credere, eorum Reges poſſe ſibi tribuere titulum Imperatoris ſine conſenſu papæ: & Valdeſius de dignitate Regum Regnorūq; Hiſp. c. 22. ſcribit Phil. 2. rectè bellū intuliſſe Paulo IV. Pontif. cum enim de Imperio ageret Paulus IV. & non de Religione. Cum Philippus 2. conſuleret Theologos de Succesſione Regni Luſitaniæ, reſponderunt ij, nullas eſſe in eo partes Pontificis, cum res merè ſoli ſit, neq; quicquam admixtum habeat, cujus reſpectu ſacri fori debeat intercedere auctoritas: nam electis Regibus, in eos & eorum ſucceſſores omne jus translatum intelligi, ut penes ipſos omnis ſit jurisdictio, neq; ab aliis judicari posſint. Aliorum Regnorum Reges non omiſerunt etiam ſe opponere hujusmodi tyrannidi. At nullum Regnum felicius jura ſua conſervavit quam Gallia. Cum Cardinalis Bellarminus publicaret librum ſuum de poteſtate Papæ in temporalibus, Parlamentum Pariſienſe condemnabat eum. Cum in Concilio Tridētino proponeretur, ut populi auctoritate iſtius Concilij cogerentur plus quam ſolent dare ad majorum ſacerdotum numerum ſuſtinendum,

tunc

Digitized by Google

tunc Bellajus Epiſcopus Pariſienſis in pleno concilio dicebat, nunquã fore ut ejusmodi decretum in Gallia reciperetur; neq; Regem unquam conceſſurũ, ut ejusmodi aliquid introduci poſſit auctoritate Eccleſiaſtica. Et Galli hæc, quibus fruũtur, Jura, nolunt propriè privilegia appellare, quia ea à nemine obtinuerũt, ſed ſaltem id quod omnibus principibus jure cõpetit, ſibi ſervarunt, de quo vide Pierre Pithou & Leſchaſier dans les traitès des libertès de l' Egliſe Gallicane. Hinc Galli demonſtrant ante concordata Franciſci I. & Leonis X. majori libertate uſam eſſe Eccleſiam Gallicanam: Regem illum nonnulla, quæ antea ad Clerum ſpectabant, ad Pontifices tranſtuliſſe. Hinc Reges pleraq; per Synodos provinciales & conſiliarios proprios quæ Regimen Gallicanæ Eccleſiæ cõcernant, definiri curarunt. Vid. l. 5. Capitular. c. 34. & l. 7. c. 328. plura ejusmodi vide in dictis libris & apud Marcam de concordia Imperij & ſacerdotij, & teſtantur id ſatis Synodi Galliæ & pragmatica ſanctio Car: 7. Longè, inquit, Marca l. 2. c. 1. à propoſito aberrant, qui Eccleſiam Gallicanam Clero coërcent: latior eſt illius ſignificatio, quæ Laicos ipſumq; Regem cõprehẽdit. Pontificibus ibi nihil in ſecularibus permittitur: Hinc dicũt Galli Ponti-

Digitized by Google

tifices nullo jure ibi Reges & ejus miniſtros excõmunicare poſſe: Eccleſiaſtica etiam Pontificum poteſtas ibidem magnas patitur reſtrictiones per canones antiquorum conciliorum ibi receptorum. Hanc Eccleſiæ Gallicanæ libertatem Sorbona aut facultas Theologica Pariſienſis ſemper ſtrenuè propugnavit, & Parlamenta ſedulò curarunt, ne ea infringeretur. Pontifices illuc non poſſunt mittere legatos à latere cum facultate conferendi, judicandi, diſpenſandi, reformandi, niſi id fiat poſtulatione & conſenſu Regis, & Legati tenentur promittere ſe non uſuros eâ facultate diutius, quam Regibus placuerit, ſeq; nihil in præjudiciũ libertatis Eccleſiæ Gallicanæ ſuſcepturos: & facultas Legati, cõceſſa examinatur in Curia Parlamenti Pariſienſis. Prælati Galliæ, quamvis Papa eos ad ſe vocarit, non poſſunt ſine conſenſu Regis exire Gallia; neque ille ſubſidia ſub quocunq; prætextu ibi imponere poteſt, neque per indulgentias onerare Gallos valet. Nihil ferè Pontifices præter annatas, diſpenſationes, reſignationes in favorem & commendationes ibi habent lucrandum. Nominatio Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Abbatum ad Regem ſpectat. Quando Archiepiſcopi, Epiſcopi aliiq; è Clero contra Regem & leges Regni

ali-

aliquid commiſerunt, cognitio iſtius cauſæ ad ſolum Regem pertinet: ille illorum delicta coërcet. Plura ejusmodi videri poſſunt apud Pithou des libertes de l' egliſe Gallicane, & ut ego verbo abſolvam Reges Galliæ ſaltem Romanam ſedem obſervant, ut Principes liberos decet: hinc ſi ibi libri contra Regiam auctoritatem eduntur aut proferuntur, publicè igni traduntur. Respublica Veneta ſe etiam ſtrenuè pontificum Tyrannidi opponit, Vide Hiſtoriam Petri Sarpæ de rebus, quæ acciderunt inter Paulum V. & illam Remp: varia tunc conſilia conſcribebantur & probabantur, pontifices nullo jure in ſecularibus ſibi arrogare ea, quæ ſibi tribuunt. Multi etiam ex pontificijs ſcriptoribus poteſtatẽ pontificibus in principes ſeculares in civilibus planè negarunt, ut Guilhelmus Occam & alij apud Goldaſt. de Monarch. Rom. Imp. Petrus de Vineis, Guilhelmus Barclajus in libro de poteſtate papæ in principes & Marca de conjũctione Imperij & Sacerdotij, multiq; alij. Adulatores tn. Pontificum ipſis & ipſi pontifices ſibi in principes jus vitæ ac necis arrogant; Hinc Henrici 3. vitæ Gregorius 7. inſidias ſtruxit, ut ipſe Cardinalis Benno ſcribit. Hinc Jacobus Clemens Monachus Theologorum permiſſu & juſſu Henricum 3.

 Gal-

Digitized by Google

Galliæ Regem interemit cultro. Hæc pontificib9 licere ex multis argumentis probare conatur Azorius Inſtit: Moral: l. XI. c. 5. & Mariana Jeſuita de Regis inſtit: lib. 1. c. 6. quem librum parlamentum pariſienſe publicè cremari juſſit. vid. Serres dans la vie de Louis 13. idemq; liber à facultate Theologica pariſienſi propter hanc doctrinam, ut hereſes continens condemnabatur, vid. ibid. Hæc jure divino pontificibus tribuunt: Hinc can: unam ſanctam Extravag: comm: de Major: & obed: utrumq; gladium pontifices habere & illis omnes humanas creaturas, ſi ſalvæ eſſe velint, obedire debere docet. C. ſatis evidenter definit: 96. dicit, pontificem à Conſtantino Deum fuiſſe appellatum. In Concilio Lateran: Seſſ. 4. Julius 2. appellatur alter Deus in terris, Seſſ. IX, omnem illi uni in cœlo ac terra traditam poteſtatem dicunt. Vid. & extr. de Verbor: ſignific. tit. 14. c. 4. & ibi gloſſ. Hinc à multis appellatur ſupremum in terris numen: Hinc omnes cujuscunq; conditionis fuerint eum flexis genibus veluti Deum externis ceremoniis venerantur: Hinc Imperatores & ſummos Principes cernuos adorabūdos ad oſcula pedum admovet. Hinc ſi ſella geſtari velit, illi ſuccollant, illi equum conſcenſuro & deſcenſuro ſtre-

pam

Digitized by Google

pam tenent. Plura vide in libro ceremon. Romanæ Eccleſiæ impreſſo Venet: 1516. & apud Pleſſium Morneum in libro le Miniſtere d' iniquité & Reinking. de Regim: Secul. & Eccleſ. libr. 1. claſſ. 2. cap. 8. Sella geſtatus in altum elevatur ut omnes flexis genibus eum adorent, de quo vide Itinerariũ Schotti part: 2. c. XI. lepide hunc faſtum indicavit Raphael Urbinus pictor excellentiſſimus, qui cum reprehenderetur à Cardinalibus quod Petri & Pauli facies inſolito rubore expresſiſſet, reſpondit: Apoſtolos rubore ſuffuſos, quoniam ex cœlo nimia vicariorum ſuorum pulchra viderent. Certum tamen eſt primos religioſiſſimos Chriſtianos Imperatores illis leges ad ipſum Eccleſiæ ſtatum ſpectantes præſcripſiſſe, quod ſatis probant leges, quæ pasſim in Cod. Theodoſ. & Juſtin. extant, & toti tituli C. Juſt. de ſumma Trinit. de SS. Eccleſiis, de Epiſcopis & Clericis. Lex ult: tit: ult. Cod. Juſt. ipſis Epſcopis tranſilientibus legem Imperatoriũ pœnam minatur, vid. & l. 44. §. 2. C. de Epiſc. & cler. illi Archiepiſcopatus erigebant, prohibitu prærogativas impertiebantur, vid. Nov. XI. Ab Epiſcopis ad Principes appellabatur, vid. Nov. 123. c. 24. Principes tunc Synodos indicebant & in illis præſcribebant judiciorum ordi-

 nem

nem & illuc delegabant Magiſtratus, ut cognitionum ordo ſervaretur, dabant illi judices, ſed clericos in cauſis Eccleſiaſticis, ut videndum ex Conciliis Milevitano & Chalcedonenſi. Si Epiſcopus de Metropolitani ſuſpicione quereretur, avocabant principes ab ea ſede judicium, & in aliam Provinciam transferebant. Provocabatur etiam interdum à judicio Concilii ad principem. Sic B. Athanaſius Alexandrinus à ſententia in concilio Tyrio contra ſe lata provocavit ad Conſtantinum. Hic Conſtantinus Dionyſium Comitem ad Concilium Tyrium mittebat & Theodoſius Candidianum comitem ad Synodum Epheſinam, ut ſubmoveret tumultus Monachorum & contentiones Epiſcopum impediret. Ita & in ſecundo Epheſino Concilio fuit Eſpidius cum Theodoſii mandatis, ut ex ordine omnia agerentur, idem obſervatum in concilio Chalcedonenſi & ſi præſcriptus ordo haud obſervaretur, omnia Principes irrita faciebant. Leges circa Eccleſiaſtica condendi poteſtatem etiam Carolus M. retinuit, ut patet ex Capitular: Francorum & ex conſtitutionibus Eccleſiaſticis, quæ à Lothario ejus nepote in Epitomen redacta ſunt ac ex MS. codice cœnobii Tegernſienſis in Bavaria publici uſus facta. Prioribus certe octo ſecu-

lis

Digitized by Google

lis neq; jure divino, neq; jure humano Pontifices ſupra dictum in principes jus ſibi arrogaſſe perſpicuum eſt: Quamvis Bonifacius ſeculo ſeptimo à Phoca obtineret, ut Romana Eccleſia caput omnium Eccleſiarum haberetur vid. Platinam in vita Bonifacij 3. nam antea Joannes & Cyriacus Patriarchæ Conſtantinopolitani primum in Eccleſia locum ſibi attribuebant, Gregorium tamen Papam reſiſtentem habebant de quo vid: Eum l. 4. Epiſt. 36. 38. Gilbertus Genebrardus ſub initio Seculi X. fatetur tum temporis per annos ferè 150. à Joanne ſc. 8. qui Nicolao & Adriano 2. ſucceſſit ad Leonem 9. prorſus pontifices à virtute majorum defeciſſe. Tamen ante Hildebrandum ſive Gregorium 7. nemo apertè dictum jus ſibi attribuit. Plerique enim ſe adhuc promptos ad Imperatoribus obediendum præſtiterunt, ut patet ex omnibus Hiſtoricis, qui tum temporis vixerunt ut & ex Epiſtolis Leonis tertij ad Carolum M. à Germanarum antiquitatum peritiſſimo D. Conringio ex Bibliotheca Academiæ Juliæ publicatis. De Gregorio 7. ſcribit Onuphrius Panvinus ita in vita ipſius. Huic Pontifici omnes Latinæ Eccleſia tum præcipuè Romana acceptum ferre debet, quod libera ſit & ab Imperatorum manibus eruta; quod tot di-

 vitiis,

Digitized by Google

ditiis, opibus & ditione locupletata, quod Regibus, Imperatoribus & omnibus Chriſtianis ſit præfecta, à quo poſtremo, ut omnia uno verbo complectar, maximus iſte eximiusq́; ſtatus, in quo Eccleſia Romana eſt omnium Eccleſiarum Domina, quum ante tanquam vilis ancilla non ab Imperatoribus ſed à quovis Principe Romani Imperatoris præſidiis fulto premeretur. Hæc Onuphrius; poſtea pergit. Cæterum (inquit) Pontifices Imperatoribus ſuberant, ab iis creabantur, de eis judicare vel quicquam decernere non audebat Pontifex Romanus. Ottho Friſingenſis ſcribit, ſe quidem diligenter Imperat: geſta legiſſe, nunquam tamen reperiſſe ante Henricum 4. à Romano Pontifice excommunicatum vel Regno privatum fuiſſe aliquem vid. eum l. 8. c. 35. Virtutes ac pietatem hujus Gregorij deſcribit Lambertus Schafneburgenſis: Non evadere potuit, (inquit) inceſti amoris ſuſpicionem, paſſim jactantibus Regis fautoribus ac præcipuè clericis, quod die ac nocte Papa impudenter in Mathildæ volutaretur amplexibus, & illa furtivis Papæ amoribus præoccupata poſt amiſſum Maritum ultrò ſecundas contrahere nuptias detrectaret. Marian: Scotus ſcribit l. 3. chronologiæ, juſſu Imperatoris Henrici Romæ congregatos 30

Epiſco-

Epiſcopos hunc Papam damnaſſe ac dixiſſe, eum profanum, ſceleſtum, amatorem diſcordiæ, virum ſanguinum ac per Necromantiam ſedē Apoſtolicam occupasſe: Hæc ſunt verba Schoti. Optimè ille & Lambertus alioquin ſatis largus in de prædicandis ipſius meritis expreſſerunt virtutes religioſisſimi Pontificis, qui modò antea nūquam audito Imperatores ferro ac igne auctoritate ac jure ſuo ſpoliavit. Vid. de hoc Pont. plura apud Auctor: bruti fulm: & apud Goldaſt. in repl. pro imp. c. 13. & in collect: Scriptor: Apologet. pro Henr. 4. adverſus criminationes Greg. 7. poſt hanc mutationem veriſſimum illud factum eſt, quod Petrarcha elegantisſimè canit part: 1. in Vita di Madonna di Laura. Sonnett. 92.

De l' empia Babilonia ond è fuggita
Ogni vergogna, ond' ogni bene è fuori,
Albergo di dolor, madre d' errori,
Son fuggit' jo per allongar la vita.

& alibi.

Fontana di dolore, albergo d' ira,
Scuola d' errori, e tempio d' ereſia
Già Roma or Babilonia falſa, e ria;
Per cui tanto ſi piagne, e ſi ſoſpira.
O fuccina d' inganni, ô prigion d' ira,
Ove 'l ben muore, il mal ſi nodre, e cria,
De vivi inferno, un gran miracol fia,
Se Criſto teco ad fine non s' adira.

Fon-

Fondata in caſta, ed umil povertade
Contro tuoi fondatori alzi le corna?
Putta sfaciata; è dove hai poſto ſpeme?

Ne gli adulteri tuoi, nelle mal nate
Ricchezze tante? or coſtantin non torna
Ma tolga il mondo triſto che 'l ſoſtiene.

& alibi.

Fiamma dal Ciel ſu le tue treccie piova
Malvagia, che dal fiume è da le ghiande
Per l' altrui impoverir ſe ricca è grande:
Poi che di mal oprar tanto ti giova.

Nido di tradimenti in cui ſi cova
Quanto mal per lo mondo oggi ſi ſpande
De vini ſerva, di letti, è di vivande.
In cui luſſuria fa l' ultima prova.

Per le camere tue fanciulle, è vecchi,
Vanno treſcando, e Beelzebub in mezzo
Co mantici e col fuoco, e con li ſpechi.

Già non foſte nudrita in piume ad rezzo.
Ma nuda al vento e ſcalza fra gli ſtecchi.
Hor vivi ſi ch' a Dio ne venga il lezzo.

Ante Lutheri adventum ad ſummum omnino pervenerat illorum potentia, ſed jam multum decrevit. In magna Germaniæ, Galliæ, Ungariæ, Poloniæ, ac Hyberniæ parte in tota Anglia, Scotia, Dania, Svecia ac Livonia nihil dicendum amplius habent. Hinc peſſimè Proteſtantibus

volunt,

volunt, & principio valdè timebant, ne illi chriſtiani orbis arbitrium penitus illis excuterent. Ut ergò intra obedientiæ ſeu ſervitutis limites ſuos continerent, hoſtilia in illos, quos hæreticos appellant, promiſcuè deſignabant: & profectò id non nequiter illis expedivit: nam Fidei quæſitorum tribunal tantum terroris Italis ac Hiſpanis incuſſit, ut ne ullus muſſitare contra hanc ſævisſimam tyrannidem audeat. Ita illum Dominatum, quem unicè cordi habent, huc usq; ſalvum præſtiterunt; Et id quidem non uno artificio. Generaliter (ut dixi) omnibus crudelisſimis ſupplicijs terrorem fecerunt. Alijs toxico honorum aut divitiarum propinato omnem rationis uſum eripuerunt. Alios exteriori illa Romanæ Eccleſiæ magnitudine ineſcarunt: Alijs opulenta & uncta ſacerdotia concedendo in officio continuerunt. Ne verò etiam plebei illorũ impoſturas animadverterent, illos ſacrorum & aliorum bonorum ab Hæreticis, (ut illi dicũt) conſcriptorum librorum uſu prohibuerunt, Pius V. facultatem legendi libros de hæreſi ſaltem ſuſpectorum tam clericis regularibus & ſecularibus quam Laicis ademit. Vide indicem librorum prohibitorũ & expurgatorũ: deinde & ſemper certatim cõvitia in hæreticos effuderunt, ut illi

non

Digitized by Google

non homines ſed furiæ crederentur, ab omnibusque cane pejus & angue fugerentur. Cum viderent progreſſus quos purioris doctrinæ confesſioni addicti S. S. Evangelium prædicando fecerant, ſomnium deſtertebant, idem imitabantur; id non minima cauſa cur Patres è Societate Jeſu tantum auctoritatis aucupati ſint, nam in hoc genere multis paraſangis etiam Eccleſiæ reformatæ concionatores ſuperare videntur: Optimi enim ad hoc munus eliguntur, & quia homines natura rerum novarum avidi, concionatori trimeſtre aut ſemeſtre ſpatium hoc officio functo novus ſubſtituitur. Ne verò quis aliquid ſcrupuli examinando paululum attentius illorum vitam moresq; de ſummi Pontificis infallibilitate habere posſit, invidendis verborum elogiis quotidiana miracula proſequuntur, quæ tandem fraude propter frequentiam detectâ, multos Italos à chriſtianiſmo in Atheiſmum detruſere. Plerique bujus Eccleſiæ errores ex dominandi libidine jamdudum originem cepere: Hinc ut vulgus crederet in hominibus Eccleſiaſticæ vitæ inſtitutum ſequentibus aliquid divini eſſe, imò illis haud multò minorem, quam ipſi DEO honorem ac reverentiam deberi transſubſtantionem excogitarunt. Purgatorium, & Miſſæ

pri-

Digitized by Google

privatæ non ob aliam cauſam introductæ ſu quam ut majorum ſacerdotum numerum in omnibus provinciis tanquam præſidium habere poſſent. Ut etiam plebis oculos præſtringerent, omnia pompis, ſcenicis geſtibus ac mimicis ritibus compleverunt. Ne verò aliquis de Romanæ Eccleſiæ Magnitudine dubitet, oſtendunt Romæ quosdam vanis titulis Patriarcharum Alexandrini & Hieroſolymitani &c. conſpicuos. Ne jam aliquis credat illos parum de ſalute animarum ſollicitos eſſe, Ecce collegium ſupra cujus portas uncialibus ac cubitum longis litteris ſpecioſum nomen de propaganda fide inſculptũ eſt. Hic unus aut alter Arabs, Perſa, Abyſſinus, Indus, Græcus, Anglus ac Germanus degit, inde operam ſuam quam in convertendis hominibus impendunt ſtrenuè oſtentant: quamvis vix aliquis ex his alumnis ad converſionem Arabum, Perſarum, Indorum &c. adhibeatur aut adhiberi poſſit. Ut verbo abſolvam artem arcanorũ Regni, quam Itali ragione di ſtato appellant, egregiè callent, ſed omnia eò tendunt, ut tyrannidem ſibi in omnes conficiant aut confectam ſervent. Plures ejusmodi illorum artes egregiè deſcripſit Eduin. Sandis Eques Anglus in Relatione de Statu Religionis; ſed jam de Provinciis, quæ illi ſubſunt, agam.

De

De Provinciis, Pontifici ſubjectis & Urbe Româ.

In Italia illis multæ & inter illas nonnullæ admodum fertiles ac cultæ Provinciæ parent: quarum fines ſunt inter mare Hadriaticum ac Hetruſcum. Sunt autem Latium, quod nunc Romanus ager. Magnæ Hetruriæ Pars, quæ nunc Patrimonium Divi Petri, Bononia & ejus territorium. Ducatus Ferrariæ, qui defuncto ſine legitimis maſculis hæredibus ultimo Ferrariæ Duce ad Clementem 8. ut Dnum. Feudi devolutus eſt. Ducatus Urbinas qui ad Urbanum 8. eodem venit modo. Marchia Anconitana, Romaniola, Umbria, Ducatus Spoletanus, Beneventum in Regno Neapolitano. Comitatus Avenionenſis in Galliâ. Veneti in Bello Ferrarienſi agrum, dictum Poleſine illis eripuerunt. Habent Regem Hiſpaniæ propter Regnum Neapolitanum & Ducem Parmenſem propter Parmam & Placentiam clientes Fiduciarios, quos vulgò Vaſallos dicunt.

De Roma.

Roma ubi ſummus Pontifex ſedem habet, non ſolum Latij ſed totius Italiæ caput eſt; Et ut Romano Imperio florente Domina Orbis,

Urbs

Digitized by Google

Urbs urbium, Numen, cui par nihil aut nihil ſecundum, appellabatur, totumq; Imperium nomen ab illa trahebat: Ita nunc Chriſtiani orbis caput & Sancta Urbs dicitur, nomenq; univerſæ latinæ Eccleſiæ indidit: Spatioſa, ampla, & priſtinæ Romanæ magnitudinis veſtigiis clara Urbs eſt. Si hodie ſtupendam S. Petri in Vaticano molem artificioſiſſimamq; fabricam ſpectes, ſi magnificentiam palatiorum ac templorum eorundemq; eximium ornatum conſideres; Si vaſtas illas columnas, multitudinem ſtatuarum, platearum Symmetriam atq; ordinem, hortorum culturam, aquaductus & fontes, & alia id genus perpendas, aliquid ſtupẽdi & quod fidem ſuperat invenies, & habebis forſan, cur credas, Romam novam antiquæ parum cedere. Cedit tamen plurimum illi, fortitudine, incolarum frequentia atq; opum abundantia, publicorum ædificiorum multitudine & eorundem ſtupenda ſtructura. De ſitu, magnitudine, nitore, publicis veteribus & novis operibus hujus urbis, vide Bartholomæi Marliani Topographiam Antiquæ Romæ, Onuphr. Panuinum, Laurentium Schraderum, Fabritium, Lipſium, Leandrum Albertum, Cluverii Antiquam Italiam, Flavium Blondum, Alexandri Donati Romam

 vete-

veterem ac novam, Schotti, Henrici à Phlaumern & aliorum Itineraria Italiæ. De Roma ſubterranea etiã ante aliquot annos liber edebatur. Alios auctores, qui de hac urbe ſcripſerunt. vid. part. 2. c. 3. dicti Schotti Itinerar. pauca tamen & ego adjiciam.

Interfluit eam urbem Tiberis, de cujus appellatione & magnitudine, vid. Cluv. l. 2. Ital. antiq. c. 10. & Marlian: l. 7. c. 1. Fontem habet in Apennino, paulò ſupra Arnũ: tenuis eſt principio nec ferè navigabilis, infra Clanin duobus & 40. fluviis auctus, præcipuè autem Nare & Aniene fit actuariarum navium ex Italico mari capax, quæ per ejus oſtium intrantes Romam remigio & funibus tractæ adducuntur. In mare Tyrrhenum prope Oſtiam uno legitimo oſtio ſe exonerat. Devehuntur hoc fluvio partim ſecundo partim adverſo ex Umbria frumentum & alia victui inſervientia, ex Regno Neapolitano vina, Marſilia & Genua aliæ merces Romam: inundavit ſæpius hoc flumen Romanorum agros, cum maximo accolarũ damno; de quo vide Schotti Itin. part. 2. c. 14. Tempore Ferdinandi I. Magni Hetruriæ Ducis, qui Clementi 8. infenſus erat, urbs ferè diluvium patiebatur propter extructas ab illo cataractas in planicie Aretina, ut

ut aqua ex his derivari poſſent vel in Tiberim, vel in Arnum, prout magis commodum Magno Duci eſſet: hinc die illo, qui antecedebat Clem: 8. reditum Ferrariâ, exceſſit alveo & circūjectos agros inundavit: multa exinde Romæ ædificia ſolutis fundamentis cadebant; Alia fulcris & trabibus ſuſtinebantur, donec magnis ſumptibus reſtaurarentur; multi homines & pecora peribant. Tunc propter dictam rationem æſtivis menſibus navigari non poterat, hybernis verò adeò abundabat aquis, ut inundatio eſſet timenda. Paulus V. poſtea miſit, qui deſtruerent hæc clauſtra, deinde urbs minus inundationibus obnoxia fuit: idem tamen ferè accidit tempore, quo Romæ Innocentio X. regnante commorabar. Aqua ejus eſt turbida, Magis ſanè Rom: Hiſtoricor: monumētis & Pöetarum carminibus, quàm ſua magnitudine inclytum eum puto fluvium. Alvéus ejus Romæ arenoſus ſatis anguſtus, tamen profundus, fluxus concitatus & verticoſus eſt: ſi comparetur cum noſtris Germaniæ veluti Rheno, Danubio, Mæno, Albi, Viſtula, Viſurgi, aliisq́ Galliæ & Ungariæ fluviis, amnis exiſtimabitur: In Italia & Padus eum longè ſuperat. Nihil in illo rari vidi præter ſubita incremēta & aquas nusquam magis quam in ipſa

 urbe

Digitized by Google

urbe ſtagnantes. Plura de hoc Fluvio vid. apud Ludovicum Gometium, qui de hoc libellũ edidit.

Hujus Urbis ambitus nunc ferè implet 13 milliaria Italica, alii ſcribunt, eum implere 14 milliaria Ital: computato etiam ſuburbio. Hic circuitus complectitur 7. illos colles, tantum ab Hiſtoricis Romanis celebratos; Muros, quos habet refecit Beliſarius. Donatus putat eos haud anguſtiores eſſe, quam olim, vid. Donat. l. 1. c. 16. eosdem poſtea Pontifices multis in locis fatiſcẽtes & dirutos reſtaurarunt; partem Vaticani propinquam templo S. Petri manibus cinxit Leo 4. hinc nomen Leoninæ civitatis; ſuburbium munivit Paulus V, ampliavit Urbanus 8. Habet & hæc urbs inſigne munimentum, arcem Angelicam, quam majori operum mole tutiſſimam & munitiſſimam fecit Urbanus 8. Diviſa nunc eſt urbs in 14. regiones.

De Portis, Pontibus, palatiis, templis, hortis, antiquitatibus, magnificis aquaductibus, Bibliothecis, Xenodochiis, collegiis, monaſteriis, vide Itineraria. Hoc ſaltem addam, nullam in tota Europa dari urbem & forſan in toto terrarum orbe, tam ſplendidam, tam magnificam, tam ſuperbam. Xenodochium Sancti Spiritus in Vaticano habere ferè centum millia ſcutato-

tato-

tatorum in annuis reditibus dicitur. De Eccleſiis vide Pompejum Ugonium in Hiſtoria delle ſtationi di Roma.

Sunt in illa urbe Eccleſiæ numero 359. Eccleſiæ Patriarchales 5. Baſilicæ inſignes 4. Parochiæ 90. Parochiæ, quæ baptizant 24. ita ordinavit Pius V. ut ſolum celebriores propter reverentiam baptizare poſſint.

Collegiatæ ſacerdotum ſecularium, præter ſupra dictas Patriarchiales & Baſilicas inſignes	22
Collegiatæ ſacerdotum regularium	19
Monaſteria & conventus canonicorum regularium, Monachorum & Eremitarum	64
Monaſteria monialium & cœlibum	40
Collegia ſtudioſorum	6
Societates, quæ Sacco induuntur, & aliæ	106
Xenodochia publica & privata	30

Hæc de numero Eccleſiarum & Xenodochiorum, ex libro Ital. de Roma antiqua & nova impreſſo 1653. exſcripſi.

Multa Seminaria & collegia ibi à Gregorio XIII, Clemente VIII. & Sixto V. inſtituta ſunt, in quibus pueri Germani, Angli, Græci, Maronitæ, Slavi & alij in literis inſtruuntur.

Digitized by Google

Æſtate aër bujus urbis minus eſt ſalubris præſertim ſecundum Tiberim & in locis ubi pauca ſunt ædificia, ut fumo aër corrigi nequeat. Hinc Pontifices, æſtivis menſibus Vaticanum relinquunt & in Palatio dicto monte Cavalli, quod extructum eſt in monte Quirinali habitant. Sunt etiam circa urbem periculoſiſſimæ imò ferè lethales æſtate ſtationes in vineis: hinc pauciſſimæ numerantur villæ in agro ſuburbano, & Principes illas in locis ab urbe remotis velutiin Tiburis, Tuſculi & Albæ jugis extrui curarunt. Agri Romani propter hanc aëris intemperiem incolis infrequentes ſunt. De hoc jam olim Antiqui Romani conqueſti ſunt: eapropter ſuburbia jungebant vicinis oppidulis, agri in medio non ſeminabantur, ſed hortis ornabantur: exinde non ſufficiebat tantæ hominum Romæ degentium multitudini Siciliæ & aliarum Italiæ Provinciarum fertilitas, ſed ut Ægypti abundantia inopiam ſuppleret opus erat. Mare verſus plantabant arbores & ſepes, ut illæ reſiſterent malignitati ventorum ex mari venientium: Diis eas ſacras eſſe volebant, ut religio eſſet eas cædere aut avellere. Fontium & aquarum copia, quæ illuc aquæductibus derivantur inſalubriorem reddit aerem, quia Roma

locis

locis depreſſis natura humida eſt, hæ vero adhuc humores adaugent. Hinc multi, Gallis Senonibus à Camillo expulſis, ſvadebant, ut urbe tunc diruta Romani Vejos migrarent & in commodiorem locum ſedes transferrent, quod graviter Camillus disſuaſit, vide ejus orationem ap. Liv. l. 5. Agri Romani ſunt ſpatioſi, plani & adeò pinguis ſoli, ut ſtercoratione haud opus ſit. Calor tam magnus eſt, ut ſolum fimum aut cineres haud admittat: adeo tamen durum eſt, ut ſæpius invertatur neceſſe ſit. Sunt etiam illi pratis ac paſcuis inſignes & alendis ac paſcendis animalibus, vaccis, equis, ovibus & capris admodum commodi. Æſtate montes excipiunt oves & capras, reliqua pecora ibi continuò detinentur. Planities ſementi quidem ac paſcendis animalibus apta, at incolis propter aeris intemperiem infrequens eſt. Colles vicini ſunt rigui, herboſi, amœni & omni uſui apti, oleis, vitibus, paſcuis & frugibus abundantes: laboravit nihilominus Roma propter cœli intemperiem aliquãdo ſumma annonæ inopia: Quamobrem Gregorius XIII. Clem. VIII. & Urbanus VIII. extruxerunt publica granaria ad frumenti conſervationem. Camera Apoſtolica vetus frumentum piſtoribus diſtribui & nova iterum ea impleri

pleri

Digitized by Google

pleri curat: aliquando id cuſtodum culpa & negligentia corrumpitur: Coguntur nihilominus Piſtores cum detrimento eorum, quibus panis ex illo confectus venditur, certo pretio illud cõparare. Gregorius XIII. ductus commeatus inopia, quâ Roma non ſemel laboravit & pecuniæ retinendæ amore, quæ ferè ſingulis annis impendebatur ad emenda frumenta non rarò corrupta ex Barbaria & aliis provinciis advecta, juſſit omnes ſepes & arbores eradicari, ut ruſtici agros illos conſererent ac colerent, quo Gregor: quidem ſuum finem conſecutus eſt: rarius enim deinde hæc urbs frumenti inopiam habuit; ſed aëris ſalubritatem aura maritima non parum corrupit. Sixtus V. idem quod Gregor: mare verſus, ubi ſolum pingue ac ferax eſt, deinde ab altera parte, ubi ager parum fertilis in eum finem fecit, ut eriperet latronibus facultatem vias infeſtas reddendi: quo etiam locum Boreæ aperuit, ut flatibus immundum fœculentum ac gravem hujus urbis aërem purgaret. Quanquam aër non eſt multum ſalubris, multi tamen annum 70. & octogeſimum ætatis attingunt; & plures ſenes ibi quam Neapoli videntur. Sed cavendum ne aliquis nocte hyeme atq; æſtate prodeat. Quamvis nunc, ut dixi agri

Roma-

Digitized by Google

Romani ſedulò colantur, tamen ſub hoc pontifice Alex. VII. ſumma nuper ibi erat annonæ caritas. Plurimi nunc Romæ degentes aut exteri ſunt, aut homines, qui religioſam ſectam ſequũtur & paucis exceptis magis egeni quam divites, eapropter nihil illis magis, quam Pontificum longa vita diſplicet: nam novo creato Pontifice magnus Chriſtianorum numerus illuc ad honorem ſummo ſacerdotum Principi exhibendum confluit; inde illi multum commodi capiũt.

Sunt hoc tempore Romani admodum molles, effœminatiq́; nam à parvulo totos ſe voluptatibus immergunt, & tempus ſolum ludendo, otiando & illicito amori intemperanter indulgendo conſumunt. Quamvis maximus meretricum numerus, quæ publicè licentiam ſtupri profitentur, adſit, tamen & maſculæ Veneris ſacris litant: quod delictum apud Chriſtianos igne expiandum, illis uberem ridendi materiam præbet; & Cynædi, qui ex ejusmodi nefario veneris uſu luem veneream contraxere, publicè medicantur. Literatura in illa urbe ferè perijt: paucos in tam magna ac celebri urbe eruditos invenias; paucos inter purpuratos & principes, qui literas ament: Innocentius X. odio ferè Literatos exercebat, aut nullo dignabatur

fauore. Multi alij Pontifices idem fecerunt: Hinc Romani haud diu patiuntur filios ſuos literis, excepto iure, inuigilare. Viros magnos cōqueri non ſemel audiui, Romæ præter Jurisprudentiam Canonicam, pictoriam, ſtatuariam & architecturam (quæ artes ibi plurimi fiunt) nullam doctrinam in pretio amplius eſſe: & reuera in tota ferè Italia eruditio ſuum perdidit locum. Plerumq; illi, qui aliquid ſunt, ſacrilegâ rerum ſacrarum nundinatione magnificè vitam ſuſtentant; in hoc tamen laudandi ſunt, quod magnos ſumptus in noſocomiorum exſtructiones pauperumq́; ſuſtentationes impendant. Naturâ ſuperbi ac contemptores aliorum perhibentur, quod ingenium illis olim in alias gentes dominium ſeculare, nunc ſpirituale indidit. Cum benè illis eſt honori valdè velificantur, ſed egeſtati immerſi omnium viliſſimi dicuntur. Putant nonnulli illos adhuc natura fortes & animoſos eſſe, ſed ſolum laxam educationem ac vitia ibi frequentia, modumq́; regiminis, quod à bello abhorret, illos molles atq́; effœminatos reddere. Plebs Romana maligna ac inſolens eſt; Nobilitas officioſa ac ciuilis videtur. Paucos aut nullos ex antiquis Romanis ortos ibi reperiri nullum eſt dubium: incolæ magnâ ex parte ſunt

exteri.

exteri. Pontifices Romanos valdè venerantur. Non eſt multum hæc urbs nunc populoſa. Paulus Jovius ſcribit Leonis X. tempore, cum ibi omnia florerent, octoginta quinq; millia civium & Inquilinorum fuiſſe; ſub Clemente VIII. vix 30 millia, cenſu inito poſt cladem acceptam, ibi fuiſſe reperta. Unus veteris Romæ vicus ferè eum numerum implebat, & nunc Neapolis ſexcenta millia civium & inquilinorum continere dicitur. Putant nunc, incolas Romæ comprehenſis etiam exteris implere numerum centum millium hominum: alij non tam magnum numerum ibi reperiri cenſent: numerus ibi facilè à Pontificibus cognoſci poteſt, quoniam in ſingulis Parochijs omnium, qui Romæ habitant, tempore Paſchatis nomina annotantur. Cedit ergo hæc urbs incolarum frequentia Neapoli, Venetijs, Mediolano, Genuæ. Sedes pontificum hanc urbem conſervat & locupletat. Cum Pontifices habitarent Avenione, illa in ſatis miſero ſtatu erat, quod Senatus Romanus in inſcriptione Epitaphij Gregorij XI. quod extat in Eccleſia S. Mariæ nova, fatetur: Gregor: XI. Lemovicenſis humanitate & doctrina pietateq; admirabili, qui ut Italiam ſeditionibus liberaret, Apoſtolicam ſedem diu Avenionem translatam divino afflatus numi-

numine, hominumq; maximo plauſu poſt annos 70. Romam feliciter reduxit Pontificatus ſui anno 7. S. P. Q. R. tantæ Religionis & beneficÿ non immemor, Gregor. XIII. Pontif. Opt. Max. comprobante, Anno ab orbe redempto M. D. LXXXIV. poſuit. Sunt & innumera officia, quæ comparari poſſunt, ex quibus multum commodi capitur, ſed non ſolum Romanis hæc ſibi conficiendi, at etiam exteris facultas eſt: quo non parum Romani ſe gravari queruntur, quoniam ſe ſolos tributa ſolvere & alia onera ferre dicunt. Eſt etiam alius verſuram faciendi modus Romæ atq; alibi in Italia, quem gli monti, Itali vocant: fit cumulus definitæ pecuniæ ſummæ, quam ſummam plerumq; Principes ad ſuos uſus impendunt & deponentibus pecuniam illam æquam & ſtabilem è reditibus ſuis annuis partem asſignant ad ſolvendum illis uſuras. Multi, ne pecunia eorum otioſa ſit, nihilq; lucri afferat, non ſolum ipſi deponunt pecuniam, ſed cum cumulus jam adimpletus ſit, alios pretio adducunt, ut illorum locum illis cedant. Hic etiam acquirendi modus non parum antehac Romanis profuit; ſed nunc Genuenſes pecunia abundantes multa ſibi officia & loca confecerunt in his (ut vulgò loquar) montibus. Id quidem

prin-

principio utile viſum fuit, quia in urbem hoc ipſo magna pecuniæ copia inferebatur, ſed eventus poſtea docuit parum id uſui, ſiquidem ſingulis annis ex emolumentis horum officiorum, & locorum in dictis montibus ſexcenta millia Scutatorum Genuam transvehuntur: non ſolum officia & loca in his (ut appellantur) montibus præſentes, ſed etiam abſentes poſſidere poſſunt. Genuenſium pecunia fecit, ut pretium officiorum ac montium valdè creverit, ſed nunc propter extractiones & reductiones (ut dicunt) quæ quotidiè fiunt, decreverunt cum ingenti Romæ incolarum detrimento, & ſi Genuenſes cum majori lucro alibi pecuniam ſuam impendere poterunt, reſument eam, & montes Romani vix emptores habebunt. Habent Nobiles ac cives Romani reditus ſuos ex agris, pratis & vineis. Borgeſii tempore Pauli V. magnam Villarum partem circa Romam emerunt, quod ferè Nobilitatis Romanæ ruina fuit: quoniam illa pecuniam ex harum venditione confectam impendit ad comparanda loca in ſupra dictis montibus, quorum utile nunc diminutum eſt, & ea privata eſt ſplendore, quo poſſeſſio harum villarum illā adornabat. Vineæ extra urbem & pomaria ab omni parte excurrunt ad 3. milliaria Ital.

Do

Nullam nobilem familiam à Romanis deſluxiſſe putant pleriq;: magna princip: famil: pars migravit cum Conſtantino Conſtantinopolim; reliquæ perierunt in ruinis Romæ. Principes Familiæ ſunt Urſini & Columnæ, quod declaravit Sixtus V. qui illis locum in Sacello tribuit inter Legatos Regum: malè hoc contenti ſunt Sabelli & Conti, qui dicunt Sixtum ſanguinis propinquitate his junctum, hoc in illorum præjudicium factitaſſe. Ambæ hæ Familiæ originem ſuam è Germania derivant; cæterum parum inter ſe conveniunt, nolentes inhærere Sixti V. deciſioni, quæ ex iſtis Familiis majori natu primum tribuit locum. Cum è familia Columnarum major natu adeſt, caput Familiæ Urſinorum Sacellum nunquā ingreditur; idem obſervant Columnæ. Romani primum vendicant locum Urſinis, quoniam in ſtatutis Romæ primum appellatur hæc familia. Urſinorum Familia diviſa eſt in multos ramos: caput Familiæ eſt Dux Braciani, qui dominus eſt factus territorij, quod conſtat 12. aut 15. vicis; ex quibus in annuis reditibus octoginta millia ſcutatorum habet, ſed reditus propter magna, quæ contraxerūt debita vix ſufficiūt, ſunt & ex

hac

hac familia Principes Nerulæ, di ſto Gemini, Pitiliano & de monte rotundo. Putant olim hanc familiam fuiſſe appellatam Roſinam, in Germania Roſenberg; *habent in ſcuto Roſam, & circa ſcutum duos Urſos ſuſtinentes illud, quod in Germanica familia Roſenbergica haud videtur.*

Familia Columnarum reſtabilita fuit à Philippo ſucceſſore Marci Antonii, qui Juvenis ſine filiis cum tam magnis debitis deceſſit, ut vix reditus annui 7. millium ſcutatorum ſummam ſuperarent. Philippus bona rei familiaris adminiſtratione debitis ſe exoneravit. Affinitas, quam cum Urbano 8. contraxit multum illi profuit, non ſolum obtinuit multa beneficia pro quatuor ſuis filiis, ſed etiam gratiam montes ſuos ad minores fructus reducendi. Philippus poſt obitum ſuperſtites reliquit 6. filios ac 3. filias, quarum una in matrimonium data eſt Taddæo Barberino Urbani 8. fratris filio; reliquæ duæ ſunt moniales. Hanc familiam ſeptingentorum annorum antiquitate eſſe illuſtrem nonnulli aſſerunt, ſed aliis non eſt dubium tempore Gregorii V. Romæ neq; Urſinorum neq; Columnarum fuiſſe notitiam.

Nomen

Nomen Columnæ huic familiæ dediſſe dicunt quendam locum ita dictum, qui ad illos pertinet: quidam aſſerunt, locum illum eſſe collem juxta Tuſculum, ubi Romani à Latinis cæſi ſe receperunt, qui inde vocabatur columen Romanorum & eapropter illorum inſignia columnam albam in campo rubro habere. Defluxit hæc familia in varios ramos, caput Familiæ eſt Dux di Paliano. Vivunt ex hac familia nunc Comes ſtabuli Regni Neapolitani, Cardinalis Columna, quidam Epiſcopus, Princeps Gallicanus & Princeps Carbonianus. Præneſte ſpectavit etiam ad hanc familiam, at illa vendidit eam Barberinis.

Familia Contorum forſan omnibus alijs antiquior etiam olim potentia inſignis fuit: fuerunt tunc appellati Tuſcolani: nunc paupertate hæc familia laborat.

Familia Sabellica majorem Columnis & Urſinis antiquitatem jactitat: illam eſſe antiquam probant monumenta Romæ in templis & locis publicis extantia; & adhuc tribunal criminale dictum, Sabellica Curia, tenet. Cæterum hæc familia parum opibus clara eſt.

Familia Cajetana originem ſuam habet à Bonifacio VIII. Caput Familiæ eſt Dux Sermonetæ

40. an-

40 annorum ſpatio quatuor purpuræ honorem in hac familia obtinuerunt.

Familia Ceſarina olim dicta Montanara centum & 80. annorum ſpatio produxit 5. Cardin.

Familia Ceſia nomen habet à Caſtello ita dicto in Umbria. Venit hæc ante aliquot ſecula Romam: dicunt Romani hanc à Medico quodam defluxiſſe.

Farneſiorum Gens eſt antiqua & nobilis: an Paulus III. à quo Duces Parmæ defluxerunt, ex hac familia ortus ſit, dubitatur: dicunt illum natum in loco, ubi multæ arbores Italis dictæ Farni erant, exinde ſibi ſumpſiſſe poſtea nomen Farneſii, quo Farneſii potuerũt eſſe cõtẽti.

Francipani prætendunt ſe deſcendiſſe à Gregorio M. Gens Molarũ antiquiſſima perhibetur. Matthæi antiquitatem jactitant, ut & Paluzi & Buffali.

Familia Altemps eſt origine Germana, dicta ab alten Embs. *Dicunt eſſe locum in finibus Sueviæ ac Comitatus Tyrolenſis ſitum. Hæc familia profluxit à Cardinale Altemps Pij IV. ſororis filio, qui filium naturalem reliquit, cui propter divitias, quibus affluebat in matrimonium quædam è domo Urſinorum, ſoror Ducis di St.*

Gemini elocabatur; tulit ex hac filium, à quo Dux qui nunc vivit, deſcendit.

Poſtea à Pontificibus originem habent familiæ Bonellorum à Pio V; Boncompagnorum, Perettorum, Aldobrandinorum, Borgeſiorum, Ludoviſiorum, Barberinorum. Perettorum familia jam extincta eſt, & Aldobrandini brevi extinguentur nulla maſcula prole relicta. Borgeſii & Barberini divitiis principibus ſuperiorem non agnoſcentibus adæquari poſſunt. Hiſce jungi debet familia Anguillara olim divitiis ac potentia clara, nunc ferè ad egeſtatem redacta. Reſtant adhuc ibi innumeræ aliæ nobilitate generis claræ familiæ, quarum nõnullæ ante 200, nonnullæ ante centum & aliæ ante pauciores annos ſedem ibi fixerunt, partim ut ibi commodius viverent propter officiorum nundinationes, partim propter negotia. Multæ ex iis à Notariis, unguentariis, Pharmacopolis aliisq́; infimi ſubſellij hominibus defluxerunt.

Sed ut tandem ad Pontificum potentiam redeam. Illi ex omnibus dictis Provinciis octoginta millia peditum (alij dicunt tantum 40. millia) & tria millia equitum, ſine ullo agrorum culturæ diſpendio cogere poſſunt: hi quidem milites ſeu potius ruſtici ad nutum ſemper

parati,

parati, ſed laboribus bellicis haud exercitati ſunt: Propterea Pontifex, quando bellum gerit, alios mercede conducat neceſſe eſt. Pauca munimenta in dominio Eccleſiaſtico extant. Arx Angelica, Quinquecellæ, Ferraria atq; Ancona habent præſidia: malè tamen propter præſidiariorum atq; annonæ defectum plerumq; cuſtodiuntur. Quinquecellis & Anconæ Portus ſunt. Anconam multæ merces advehuntur ex Dalmatia Epiro & Græcia. Quinquecellis navium longarum (quas Galleras nunc vocant) ſtatio eſt, quarum numerus quatuor non excedit, parum etiam Pontifici uſui ſunt. Præter ducentos pedites Helvetios corporis cuſtodes, centum Equites Haſtiarios, quingentos alios Equites, & mille quingentos Pedites Romæ (his ultimis Equitibus & peditibus ſtipendium ſolvebant communitates & Camera Apoſtolica non onerabatur) & præſidia Innocentius X. milites Stipendiarios non habebat. Habent Pontifices in dictis Provinciis Bononiæ, Ferrariæ, Peruſiæ, Macerato & Firmi Academias. Omnium celeberrima eſt Bononienſis.

Pontifices in ſuo Dominio pro lubitu omnia in ſecularibus & eccleſiaſticis diſponunt, tributa imponunt, officia diſtribuunt, bellũ indicunt, pa-

Digitized by Google

cem faciunt, & omnia Majeſtatis jura ſoli exer-cent. Ea quæ Pontifex in conſiſtorio, quod ex Cardinalibus conſiſtit, & quod ſingulis ſeptimanis ſemel habetur, proponit jam antea ab eo deciſa fuere; non opus habet Cardinalium aſſenſu: facit tantum id in eum finem, ut id quod agit magna deliberatione ſuſceptum videatur, neque id poſt ejus obitum ipſius nepotibus damnum afferat. In ſuburbicariis Eccleſiis beneficia pro lubitu diſtribuit. Habent hæ Eccleſiæ Epiſcopos 70. vel circiter, ut ex notitia, quam ex Bibliotheca Vaticana ſumptam publicavit Baronius ad annum 1057. n. 24. liquet. in aliis Provinciis non idem nunc poteſt: in multis per Edicta, Pragmaticas, & concordata acciſa eſt ejus poteſtas. Olim nullum obſervarunt modum in Principum dominiis: Hinc annatæ, hinc minuta ſervitia, hinc ſpolia defunctorum, hinc vacantia, hinc decimæ, reſervationes, menſes papales, pallij redemptiones: hinc aliæ exactiones, barbaris vocabulis expreſſæ ab iis introductæ ſunt. Multi de his exactionibus & Pontificum avaritia jam olim graviter conqueſti ſunt. Alfonſus Arragoniæ Rex dicere ſolebat, Harpyas non jam Inſulas, ut Poetæ exiſtimarunt, incolere, ſed ex inſulis migraſſe in curiam Romanam, vid: Panor-

mitan.

Digitized by Google

mitan. de dict. & factis Alfonſi l. 1. cap. 8. Alij non dubitarunt ſcribere, ſacerdotum integritatem in nequitiam, humilitatem in faſtum, paupertatem in avaritiam eſſe converſam. Clamengius graviter in eos invehitur. Jovius prodit l. 4. Hiſtor. Laurentium Puccium Cardinalem dicere ſolitum, nullum lucrum quacunq; ex re Papæ illicitum eſſe, & Felinus ſcribit in can: ex parte 1. de offic. delegat. Papam in Simoniacis non illaqueari. Idem Jacobatius in libro de conciliis l. 4. cap. 4. tradit. Alij paraſiti Pontificum idem aſſerere non dubitarunt; vid. Danhauder. in prax. crimin. cap. 61. n. 67. Tempore Ludovici XI. demonſtravit Parlamentum Pariſienſe illi Regi, ex ſola Gallia, quæ magis quam aliæ provinciæ jura ſua defendit, Pontificem Pium trium annorum ſpatio corraſiſſe 2840000 ſcutatorum Galliæ, quorũ unus facit Thalerum ſecundum noſtram monetam. Vid. in tract. des libertès de l' Egliſe Gallicane. quamvis Pontificum poteſtas in nonnullis etiam Romanæ Eccleſiæ adictis provincijs ſit acciſa, confirmationis tamen diplomata adhuc ubiq; ab ijs impetrare neceſſe eſt.

Quid etiam in rebus ad fidem ſpectantibus poſſit addiſcimus ex l. 2. & 3. Hiſtoria Concilij Tridentini P. Sarpæ prudentisſimi, æquisſimi atq; eruditisſimi Monachi, qui aliàs appellatur P. Svavius. Omnia Tridentini Patres ex præſcripto pontificum definire adſtricti erant. Hinc Galliæ Legati proteſtabantur & dicebant patribus iſtius concilij: Cum nihil à vobis ſed omnia magis Romæ, quam Tridenti agantur, & quæ hic publicantur magis Pij IV. placita, quam Concilij decreta, jure exiſtimentur, denunciamus & proteſtamur, quæcunq; in hoc conventu, hoc eſt ſolo Pij nutu & voluntate decernuntur & publicãtur, Regem Chriſtianisſimum ea neq; probaturum, neq; Eccleſiam Gallicanam pro decreto concilij Oecumenici habiturum: Extat illa oratio & multa ad majorem cognitionem iſtius concilij Hiſtoriæ admodum neceſſaria, in libro, quem tam propter ſingularem humanitatem, quam ſolidam eruditionem ſumma laude dignisſimus & nobilisſimus vir, Monſieur du Puis, amicus noſter edidit Pariſiis ante duos annos. Titulus eſt: Inſtructions, & lettres des Rois tres chriſtiens & de leurs Ambasſadeurs, & autres actes concernants le concile de Trente.

te. *Jeſuitæ & plurimi alij Pontificij faciunt nunc Pontifices in rebus fidei infallibiles: quamvis in concilio Conſtantinenſi Seſſ. 4. ſtatuatur, quod quilibet, cujuſcunq; conditionis aut ſtatus, etiamſi papabilis fuerit dicto concilio ſubeſſe teneatur. Galli hanc infallibilitatem Pontificibus haud tribuunt, & Canonem dicti concilij ſtrenuè defendunt. Vide Emundum Richerium Doctorem Theolog. Pariſienſem in libro de Eccleſ. & Politica poteſtate cap. 15. 16. 17. & 18. Non tantum attribuunt Pontifices ſibi in Romanæ Eccleſiæ addictos Eccleſiaſticam jurisdictionem, at etiam in omnes Chriſtianos, qui Græcæ Aſiaticæ & Africanæ Eccleſiæ ſubſunt. Illæ tn. Eccleſiæ nunquam ſe voluerunt ejusmodi jugo ſubjicere, quãvis Bonifacius 3. à Phoca Imperatore Primatum obtinuiſſet. Vid. Anaſtaſ. in vita Bonif. 3.*

De reditibus Pontificis.

In quadam Manuſcripta relatione ubi accuratè Pontificum reditus & unde ſumuntur, & eorundem expenſæ deſcriptæ ſunt, inveni eos poſt alienationẽ multorum vectigalium, non habere ex omnibus ſibi ſubjectis provinciis & officiis cameralibus, quæ venalia ſunt, ultra 1472000 ſcutatorum in annuis reditibus & expenſas implere 1472000 ſcut: (quorum unus implet u-

 num

num Thalerum & 12. ſolidos Lubecenſes, qui faciunt quartam Thaleri partem) reſtare ideò tantum 114000. ſcut. In alia MS relatione edita 1540. reperio Paulum V. quotannis habuiſſe centum & viginti myriades ſcutatorum, & expenſas implevisſe centum & quadraginta myriades ſcutatorum: expendiſſe itaq; ſingulis annis ducenta millia ſcutatorum ultra reditus & tunc Pontifices 18. milliones ſcutat: (ut ita loquar) debuiſſe, poſtea ea debita creviſſe usq; ad 37. milliones. Habeo aliam relationem manuſcriptam, editam Anno 1644, quæ prodit Pontificem ex dominio, dataria, ex officiis cameralibus quotannis colligere 2800000 ſcutat: & poſſe eos reditus augere usq; ad 5000000 ſcutat: neq; debita ultra 18000000 ſcutat: eſſe. Sed noviſſima Contareni, Legati Veneti M. S. Relatio docet, Sedem Apoſtolicam tantum habere ducentas myriades vel ut ita loquar 2. milliones ſcutat: in annuis reditibus, & debita eſſe tam magna, ut uſuris ſolutis reliqua ſaltem ſint 700000 ſcut: quæ impenduntur in præſidia & alia. Expenſis modum ſtatuit Innocentius X. & fecit, ut reditus expenſas ſuperent. Habet (ut idem ſcribit) Pontifex ex molumentis datariæ, ex officiis vacātibus cancellariæ, Auditoris cameræ, Theſaurarij

Digitized by Google

narii & Clericorum cameræ ſingulis annis octingenta millia ſcutatorũ. Dicunt provincias Regis Hiſpaniæ ſolvere ſingulis annis Dataria quingẽta millia ſcutatorũ, Germaniam ante reformationem quotannis ducenta millia, ultra id, quod nunc ſolvitur, ſolviſſe. Anglia nunc nihil dat. Pecunia ex his emolumentis ad Pontificem ſpectat, quam ad quoscunq; privatos uſus liberrime impendere poteſt. Nunquam deſunt Pontificibus rationes & inventa reditus adaugendi, veluti ex diſpenſationibus, indulgentiis &c. Si Dominium Eccleſiaſticum ære alieno non ita gravatum eſſet, facilè Pontifices totam Italiam dicto audientem facere poſſent. Quare Dn. Sen in Relatione, cujus ſuprà mentionem feci, Senatui Veneto ſuadet, ut arte ſemper impediat, ne Pontifices his debitis ſe liberent. Theſaurum 300. myriadum ſcutatorũ Sixtus V. in Caſtello S. Angeli reliquiſſe dicitur. Innumerabilitas Cleri & præſertim raſæ gentis, quæ ſingulis annis adhuc creſcit, non parum Pontificis potentiam amplificat & conſervat; illa enim per totum chriſtianum orbẽ diſperſa in plurimis chriſtianorum Principum provinciis tanquam à Pontifice diſpoſitum præſidium commoratur, ne aliquis deficere vel aliquid in ſummum ſacerdotum

 Re-

Digitized by Google

Regem moliri audeat: quod optimè Veneti perſpexerunt: hinc leges condiderunt, ne immobilia illis inpoſterum legentur aut donentur, vid: Hieronym: Vendramen: controverſ. Venet. 1. pag. 13. & Hiſtor. Sarpæ de controverſiis inter Paulum V. & illam Remp. & alios, qui de illis controverſiis conſilia ſcripſerunt: quod etiam olim Carolus V. & alij ante eum Duces & Comites in Belgio fecerunt. vid. Guicciard. in deſcript. Belgij. Reditus Cleri Pontificij fidem ſuperant: Auctor du Cabinet du Roy de France, dans lequel il y a trois perles precieuſes, probat l.1.p.5. Clerum Eccleſiæ Gallicanæ habere ſingulis annis plus quam 100000000 ſcutat: Galliæ in reditibus. In Venetorum ſtatu tertia terrarum iſtius dominij pars ad Clerum pertinet; in aliis Italiæ Provinciis dimidiam partem ad eum ſpectare cenſent multi: hinc Pontificum potentiam videre licet: quoniam clerus planè à Pontificibus dependet. At quantum id Pontificum potentiam adauget, tantum id Principum ſecularium vires debilitat. Italia, quæ olim populoſiſſima erat, nunc propter illas innumeras religioſas ſectas, quæ adhuc continuò adaugentur, parum populoſa eſt, & ſi ita continuabitur, brevi ſeculares ad paucisſimos redigentur. Plura de

cleri

Digitized by Google

cleri reditibus & potentia, vide in Jacobi Angliæ Regis Apologia ad Reges &c. & apud Miræum de notitia Epiſcopatuum orbis Chriſtiani & de ſtatu Religionis Chriſtianæ. Eſt adhuc aliud, quod Pontifices potentes facit; nimirum obſervantia, quam omnes Pontificij Principes iis jure deberi profitentur. Et quia eorum ſubditi eos Chriſti vicarios credunt, facilè in proprios Principis, ſi in Pontifices aliquid moliantur, inſurgunt: Sæpius Pontifices multum commodi exinde ceperunt. Felices ſunt Principes proteſtantes, quod hoc duriſſimo jugo liberati ſint quodq; ea haud dimenda habeant, neq; inſuper illorum Provinciæ, ut catholicorum, ſingulis annis pecunia à Romana curia emungantur. Sunt & illi multi magis legibus, quam Romanæ Eccleſiæ addicti Principes, ſoluti, quia cura Religionis ad illos ſpectat & Clerus illorum imperio ſubjacet. Ante ſeculum valdè auctoritatem Pontifices devovendo hoſtes & ſubditos Principum juramento, quo illis adſtricti, abſolvendo protegebant, ſed nunc pleriq; Principes ejusmodi diras ac ſacrorum Interdictiones parum morantur: cujus rei documentum nuper dederunt confœderati contra Urbanum VIII. in bello Parmenſi atque antea Reſp. Veneta contra Paulum V, qui biſcè

diris

diris optatam occaſionem Reipubl. præbebat Patres è Societate Jeſu expellendi. Mirum cuidam videri poteſt, quod hæc tam magna potentia Pontificibus tam parum ad Imperium amplius reddendum nunc inſerviat: ad ultra providentiam Dei, quæ omnibus Imperiis limites definivit, quos transgredi non poſſunt, prægnantes etiam rationes huic imperio extenſionem limitum impediunt. 1. Pontifices jam ſenio confecti ad pontificatum veniunt, & quia à puero ad vitam mollem laxamq́ aſſvefacti, nolũt in ſumma ſenectute curis ac ſollicitudinibus, quas bella excitant, diſtorqueri. 2. Quia inprimis ſtudent brevi magnum auri cumulum, ad ditandos Fratrum aut ſororum filios aliosq́ propinquos congerere: quod teſtatum faciunt magnificentiſſima imò regium luxum ſuperantia Matthæi, Farneſii, Aldobrandini, Borgeſii, Medicæorum, Ludoviſii, Peretti atq́ Barberinorum palatia, Horti & Villæ. Paulus V. dictus Borgeſius ſpatio 15. annorum tantum pecuniæ cumulavit, ut principi Borgeſio trecenta millia ſcutatorum in annuis reditibus reliquerit. Hoc eſt, cur pontifices nunc bello abſtineant; illud enim ærarium exhaurit, plurimumq́ propinquis obeſſet; nam nunc lex facta eſt, ut provincia quæ impoſterum

occu-

Digitized by Google

occupabuntur Dominio Eccleſiaſtico adÿciantur. 3. Timent ne hoc ipſo poſt illorum obitum principum vindictam in ſuos heredes provocent: Barberini ſine gemitu recordari non poſſunt, quantum damni ac odÿ bellum illud, quod Duci Parmæ intulerunt ad occupandum Ducatum Caſtrenſem illis attulerit. 4. Eccleſia Dominium ære alieno gravatum eſt. 5. Tempore belli parum Pontifices Romanis fidere poſſent: quoniam magna eorum pars exteri ſunt; neq; magis Nobilitati, propter factiones, quas inter eſſe fovet, fiderent. Ipſa Urbs eſſet in maximo periculo, quoniam incolæ ſunt militiæ imperitiſſimi, & propter vaſtum ambitum defendi non poſſet. 6. Sacrorum interdictionibus non tantum nunc ut olim efficere valent. 7. Quanquam conviviis ac lautis epulis parum conſumunt, tamen in Magiſtratus, Urbanos & Provinciales, in Familiam, ſatellitia, præſidia, Eleemoſynas, largitiones, Nuncios, Cantores, curſores, ſumptuoſas ſacrarum ac profanarum, publicarum ac in gratiam propinquorum privatarum ædium ſubſtructiones aliaq; id genus incredibilem auri ſummam ſingulis annis impendunt.

Aliquid de Curia Romana.

Hoc notatu non indignum eſt, nullum dari

prin-

principẽ, qui tam accuratè, quam Papa, omnium totius cogniti orbis principũ ſtatum cognoſcere poſſit: Quoniam non tantum omnes Rom: Eccl: addicti Principes legatos ſuos habent apud Pontifices, & Pontifices ſuos Nuncios apud eos, ſed omnes religioſæ per totum mundum diſperſæ ſectæ ſuos tenent Principes (quos Generales appellant) Romæ: ad illos omnia, quæ in illis provincijs, ubi ille ordo monaſteria habet, fiunt, ſedulò perſcribuntur; in nulla ideò provincia aliquid tentari contra eos poteſt, de quo non in tempore certiores fiant. Hoc etiam obſervandum eſt, quamvis Romæ omnia ſint venalia, & ex pecunia ſplẽdida officia confici, et tandem ad purpuræ dignitatem perveniri poſſit, tn. ibi ſæpius, quam alibi infimæ conditionis homines ex inopinatò ad culmina honorũ evenire. Si pauper Cardinalis Pontifex fit, omnes ſuos propinquos ex paupertate ad ſummarũ divitiarum poſſeſſionẽ juvat. Quilibet qui ad hoc potentiæ faſtigium evehitur, etiam illorum, qui illi ſervierũt, ante alios commodo favet: hinc fortunam ibi plus ludere, quam alibi videmus.

De Regimine Romæ & Dominii Eccleſiaſtici &c.

De Magiſtratibus & officijs curiæ Romanæ, vide Luna-

Lunadori Curiam Rom.; ubi quanti illorum officia conſtant & quantum exinde lucrantur, & quid agendum habēt, deſcripta vides. Franciſcus Gherius ſcripſit Indicem Tribunalium congregationū aliorumq́ congreſſuū, qui in urbe fieri ſolent: ex illis libris hæc clarè cognoſci poſſunt. Addam tamen & ego nonnulla.

Principes Pontificum Miniſtri ac Conſiliarij ſunt ipſorum Fratrum ac ſororum filij, aut his deficientibus, proximi propinqui. Major natu appellatur Cardinale Padrone, adſumitur ille collega imperij & omnia Pōtifice ſene pro lubitu adminiſtrat. At Innoc. X, cum Card. Pamphilio purpuram depoſuiſſet, neminem habebat, quem ſibi ita adſumeret: expediebat ideò omnia per Card: Panzerolam; eo defuncto per Ghiſium, qui nunc Pontifex eſt. Hic hactenus eodē modo uſus eſt Roſpiglioſo, qui eſt ejus Secretario di Stato. Conſiſtorium habetur in palatio Pontificis ad tractandum de cōmodis Eccleſiæ & ad recipiendum publicè Legatos. Fieri ſolet alternis ſeptimanis die Lunæ, ſi Pontifici placuerit, vel ejus arbitrio alio die coram ſe. Interveniūt omnes Cardinales præſentes in curia. Vicecancellarij officium exercet Cardinalis, ille attendit expeditionibus literarum Apoſtolicarum, quando ſupplica-

Digitized by Google

plicationes ſubſcriptæ ſunt à pontifice. Habet ſub ſe aliquot officiales: ex hoc officio ſingulis annis 14 aut 16 millia ſcutatorum lucratur. Venditur illud à pontificibus pro 80000 ſcutatorum. Hoc officio nunc fungitur Franc: Barberinus. Camerarius (il Camerlengo) eſt etiam Cardinalis, præeſt Cameræ Apoſtolicæ, habet clavem Theſauri, ſede vacante cudit monetam cum ſuis inſignibus & tunc utitur Helvetiis pro corporis cuſtodibus & conclave parari curat, lucratur quotannis 18 millia ſcutatorum. Eo officio fungitur Card: Antonius Barberinus.

Summus Poenitentiarius eſt ſupra caſus reſervatos: & exercetur id officium etiam à Cardinale, qui exinde lucratur ſingulis annis 8000 ſcutat.

Decanus Collegii Cardinalium tenet etiam clavem Theſauri.

Praefectus Signaturae gratiæ eſt Cardinalis, ille intervenit ſignaturæ gratiæ, quæ fit coram pontifice & præ eſt axpeditionibus per gratiam.

Praefectus Signaturae juſtitiæ eſt Cardinalis, attendit cauſis delegatis per juſtitiam: facit omnia reſcripta ad libellos ſupplices & cōmiſſiones cauſarū, quæ delegantur per juſtitiā.

Prae-

Digitized by Google

Praefectus Brevium eſt Cardinalis, hic revidet & ſignat breves.

Vicarius Papae eſt etiam Cardinalis, habet juriſdictionem in Monachos & Sacerdotes regulares, Judaeos, meretrices. Attendit & Xenodochiis.

His dictis officiis ſoli Cardinales funguntur.

Congregatio Epiſcoporum & Regularium conſiſtit etiam ex Cardinalibus, ibi tractatur de disſidiis inter Epiſcopos & illorũ ſubditos ortis.

Alia officia partim à Praelatis ſimul cum Cardinalibus, partim à ſolis praelatis exercentur.

St. Officii Congregationi interveniunt Cardinales & alij Praelati & Theologi, ibi tractatur de Inquiſitione & hereſi.

De judicibus civilibus & criminalibus.

Auditor Camerae eſt judex ordinarius curiae Romae & omnium curialium, Cardinalium, principum, Legatorum, Baronum, Epiſcoporum, Exterorum & Mercatorum. Ad eum etiam veniunt appellationes ex dominio Eccleſiaſtico; & extra illud illa, quae ſpectant ad forum Eccleſ. Habet etiam executionem eorum, quae debentur ex obligationibus cameralibus. Habet 2. locumtenentes civiles & unum criminalem. Emitur illud officiũ 80000. ſcutat. ſingulis annis lucrũ 12000 ſcutat: affert.

Theſaurarius cognoſcit cauſas ſpoliorum ſacerdotum, & Eccleſiaſticorum. Ille etiam jus reddit de fontibus, de fructibus malè perceptis & illicitis commerciis. Curam etiam habet exactionum redituum Cameræ Apoſtolicæ. Emitur id officium 70000 ſcutat: lucrum ſingulis annis ferè affert 12000. ſcutat.

Gubernator Romae ſummariè jus reddit de ſalariis, & mercede debita pauperibus. In criminalibus habet Romæ generalem juriſdictionem & præventionem cum omnibus tribunalibus. Multos ſub ſe judices habet. Tenet familiam armatam intra & extra urbem.

Rota compoſita eſt ex 12 Prælatis, uno Germano, uno Gallo, duobus Hiſpanis & octo Italis: cognoſcit cauſas beneficiorum omnium Provinciarum Romanæ Eccleſiæ addictarum, & omnes lites dominij Eccleſiaſtici per appellationem: Auditores Rotæ officia haud emunt.

Camera Apostolica jus reddit de reditibus ſedis Apoſtolicæ, de ſpoliis, de feudis Eccleſiaſticis, de Theſauris Provinciarum Dominij Eccleſiaſt. de moneta, de viis, de ædificiis, de tributis. Habet 12. Clericos Cameræ, cujuslibet officium conſtat 40000. ſcut. & quilibet ſingulis annis lucratur 3000 ſcut. Veniunt & in hoc Concili-

um,

Digitized by Google

um Cardinalis Camerarius, Gubernator Romæ, Theſaurarius Generalis, Auditor Cameræ, Præſes Cameræ, Advocati pauperum, Advocatus Fiſcalis. Præſes Cameræ præeſt ærario, emitur id officium 40000. ſcut.

DATARIUS nunc eſt Cardinalis: ille ſuo arbitrio diſponit de vacantibus beneficiis, quæ in annuis reditibus tantum habent 24. ſcut. De aliis majoris momenti beneficiis tradit libellos ſupplices Papæ & commendat hunc vel illum pro lubitu, non emitur id officium: habet ſub ſe ſubdatarium.

His officiis ſoli prælati intra urbem funguntur; Extra Romā ſunt Legati, Vice Legati (qui provincias regūt) & Gubernatores præcipuarū urbiū & Nuncii, qui etiam omnes ſunt prælati.

Sunt adhuc alii Magiſtratus ſeculares; illi ſunt civiles vel militares. In civilibus eſt Gubernator ſuburbii, qui ſingulis annis 2000. ſcut ατ: mercedem habet. Hic jus reddit in omnibus ſuburbiis Romæ.

SENATOR ROMANUS, qui eſt ſemper extraneus, & plerumq́; Doctor juris. annuum ejus ſalariū fere implet 2000. ſcut: eligitur à Pontifice, habet ſub ſe duos judices civiles & unū criminalē. Cives Rom: in civilibus & criminalib9.

ejus juriſdictioni ſubſunt. Tenet locum in ſacello Pōtificis ſub legato Cæſaris: habitat in capitolio.

Tres Conservatores Romæ. Sunt 3. Romani cum primo tribuno Regionum, quem ipſi inter ſe tribuni ad hoc officium eligunt. Partita eſt urbs in 14. Regiones. Qualibet Regio habet ſuum tribunum: Natalibus Chriſti eligit quendam, quem appellant imburſulatore, qui in ſingulis urbis regionibus annotat quoſdam capaces officii conſervatorum & Tribunorū. Hic magiſtratus trimeſtris eſt. Tribus menſibus finitis, coram Pontifice, Cardinale Camerario & cardinalibus pontificis Nepotibus, novi ex iis, qui ita, ut dixi, annotati fuere, deliguntur: illi ſubitò Pontifici ſe juramento adſtringunt. Olim principes familiæ hunc honorem ambiebant, ſed quia nunc vili genere homines admittuntur, illa haud expotunt eum. Eliguntur tamen etiam quidam ex nobilitate antiqua, quæ tamen nullo excelſiori tituli ſplēdore clara eſt. Hic magiſtratus curat, ut lanii, piſtores, piſcatores vendenda vendant juſto pondere, ſed in hoc illorum officio multū derogatum eſt à Clericis Cameræ, qui crearunt annonæ præfectum. Ille etiam curant, ut Romanæ antiquitates conſerventur & ſtatuta obſerventur. Judices etiam ſunt interpoſi-

poſitarum appellationum à conſulibus artium. Concedunt jus civitatis. Conſtituunt magiſtratus locis illis, qui extra urbem ad populum Romanũ ſpectant. Habent etiam in capitolio carceres & tenent lictores. locus illis datur in ſacello pontificis.

Eſt alius magiſtratus in Capitolio, qui jus reddit de viis & pontibus.

Eſt & ibi alius qui jus reddit de fructibus, ſepibus & foſſio vinearum & de ripis.

Eſt alius Magiſtratus Romæ, cujus Jurisdictioni Nautæ ſubjecti ſunt.

Praefectura Romae erat ſub Græcis Imperatoribus nobiliſſimum officium, & regebat præfectus urbẽ Romam, nunc nulla alia auctoritate, quam externo quodam ſplendore illustris eſt. Hanc dignitatem poſt obitum Ducum Urbinatis dedit Urbanus 8. Taddæo Barberino & ejus hæredibus uſq; ad tertjam generationem.

Mareschallus Romae. Illo officio jure hæreditario fungitur caput familiæ ſabellicæ. Præeſt carceri in curia ſabellica: cognitionem levium cauſarum criminalium habet. Sede vacante cuſtudiæ conclavis præeſt.

In militaribus ſunt.

Generalis Sanctae Ecclesiae. Habet ſingulis

gulis annis 12000. ſcutat:, et tempore belli 36000 ſcut: omnes alli Generales & officiales ejus Juriſdictioni ſubſunt.

Generalis vel Praefectus Triremium.

Prafectus cuſtodia corporis pontificis.

Prafectus Caſtello St Angeli.

Prafectus Tormentorum.

De officiis aulicis.

Superat hac curia magnificẽtia, ceremoniis & luxu omnium Chriſtiani orbis principum aulas: & tanta ejus eſt obſervantia, ut ne ipſi Cardinales ſine põtificis permiſſione urbe exire poſſint. Sunt etiam Roma multi principes & ſplendore titulorum onuſti, qui in ſolemnibus hanc curiam ſplendidiorem faciunt.

Præter illos, qui ſupradictis officiis funguntur, ſunt in Palatio Pontificis.

Magiſter ſacri palatij, qui eſt Dominicanus; ille revidet libros, qui Roma debent imprimi.

Magiſter Aula pontificis; qui aula praeſt. Ille eſt Pralatus.

Supremus Cubicularius (Maeſtra di camera) Eſt etiam Pralatus.

Pocillator (coppiere)

Cubicularii ſecreti.

Magiſter ſtabuli.

Et multi alij aulica officia adminiſtrantes.

Digitized by Google

Sunt & in Familia Pontificis.

Regens Cancellariæ	I.
Protbonatarÿ Apoſtolici.	VII.
Subdiaconi	VI.
Acolyti	VIII.
Secretarÿ Apoſtolici	VIII.
Corrector Cancellariæ	I.
Summiſta	I.
De Conſvetis	I.
Abbreviatores Majores	XII.
Abbreviatores Minores	VI.
Cuſtos Cancellariæ	I.
Secretarius Schedularum	I.
Oſtiarius Cancellariæ	I.
Scriptores Apoſtolici	CI.
Cubicularÿ Apoſtolici	LX.
Scutiferi, vel Dapiferi Apoſtolici	CXL.
Milites Sti. Petri	CCCC.
Milites Sti. Pauli	CC.
Scriptores Brevium	LXXXI.
Procuratores Pœnitentiariæ	XXIV.
Scriptores Pœnitentiariæ.	XXVIII.
Collectores Plumbi	CIV.
Correctores Pœnitentiariæ	II.
Sollicitatores de Janizeris	C.
Collectores Archivi	X.

Scri-

Digitized by Google

Scriptores Archivi.	X.
Magiſtri plumbi	III.
Secretarii bullarum ſalariatarum	VIII
Regiſtratores bullarum earundem	IIII.
Magiſtri regiſtratarum bullarum	IIII.
Auditore contradictarum	XIIII.
Magiſtri ſupplicationum	IIII.
Clerici regiſtri ſupplicationum	VI.
Notarii Cameræ Apoſtolicæ	IX.
Scriptores regiſtri ſupplicationum	XX.
Notarii Auditoris Cameræ	X.
Notarii Rotæ	XLVIII.
Notarii Vicarii Papæ	IIII.
Notarii Gubernatoris Civilis	II.
Notarius Maleficiorum	I.
Notarius Cancellariæ	I.
Præſidentes Ripæ	CXLI.
Portionarii	DCXII.
Curſores	XIX.
Serviteres armorum	XXIV.
Virgæ Rubeæ	XVI.
Catenæ Sacri Palatii	LXII.
Portæ ſerreæ	XXVI.
Equites levis armaturæ, communiter	C. *vel* CC.

Helvetii custodientes portas Palatii Pontificis & quotidianas excubias agẽtes CC. *interdũ etiam* CCC.

Multi Muſici.

Alia ex citatis Auctoribus peti poſſunt; plura adjicere temporis anguſtia prohibeor, Hiſce benevole Lector fruere & vale.

Con-

Digitized by Google

Conclave

In quo d. VII. Aprilis An. cIↃ IↃ CLV. *ſummus Pontifex creatus eſt.*

Fabius Chigius Senensis, nunc dictus Alexander VII.

QUi ſcribere ſuſcipit ea, quæ in conclavi eveniunt, plus habet difficultatis, quàm curioſus lector curioſitatis. Difficile eſt invenire veritatem, cum homines magno laborant ſtudio eam abſcondere. In abdita conclavis ſolis radii purè haud penetrant; de induſtria obſcurantur ibi clauſtra; quæ tractantur in illis parietibus, circumvoluta ſunt diſſimulatione, interdum etiam mẽdaciis; quilibet videri vult, ſe multum Pontificis creationem adjuvaſſe, vel ad minimum negat ſe ex animo cõmodo alterius ad eam dignitatem adſpi-

rantis ſtuduiſſe: quoniam novum Pontificem jam ſuperiorem factum iis, quorum voluntate ad hanc dignitatem evenerit, omnes jam reverentur & metuũt, omnes tamen queruntur, iniq; credi, ſe non ſemper ab initio hujus creationi faviſſe: Evanuit enim jam recordatio ultimi beneficii in dando voto; par viſit res cum plurimis communis. Inveſtigatur affectus ejus, qui ſemper habebat voluntatem eligendi; ex hoc cenſet Pontifex conclave non potuiſſe finiri cum laude, niſi ille fuiſſet electus. Hinc ego certus ſum, fore, ut mea relatio ſubitò cenſuræ ſubjiciatur & ab iis, quos hæc tangunt, reprehendatur, ut vero contraria. Pateſaciam tamen ea, quæ vidi, conſcius mihi ipſi, me cognitionem eorum, quæ ſufficiunt ad ſcribendum hæc habere, & me eſſe liberum ab affectibus, qui veritati damnum afferre poſſint. Parvis haud attendam, quod lectorem ſcire velim: non attingam Cardinales etiam tempore quadrageſimali larvatos ſe invicem viſitaſſe: neq; indicabo, quomodo obſervabatur ille, qui erat in camera, qui nego-

tiba-

tiabatur, qui nutu aliquid indicabat. Hæc omnibus nota ſunt, quibus conclavium natura innotuit: ea tantùm commemorabo, quæ huic propria fuere, & id majori, qua fieri poterit, brevitate.

Deceſſit Innocentius X. d. 7. Jan. An. 1655, poſtquam annos decem, quatuor menſes & dies 20. pontificatui præfuiſſet, cum jam diu ipſius ſalus deſperaretur. Quotidie deficiebant vires per ſenectutem; quæ, cum inciperet annum 81. agere, vergebat in decrepitam. Fuit ſanè Pontifex feliciſſimus, ſi fortuna ex felicibus eventibus in hâc vitâ æſtimari debet. Videbatur diſponere de catenâ fati, ut de clavibus Petro & ſucceſſoribus ejus à Chriſto traditis: per decem dies ægrotavit, quod impedivit lætitiam, quæ jam ex ipſius inſtanti obitu capiebatur; quod ſemper Romæ propter obitum Pontificum, qui per longum temporis ſpatium regnarunt, ita fit. Veſpere, qui antecedebat primam P P. congregationem in Vaticano, corpus defuncti Pontificis ſolemnibus ceremoniis in palatium Quirinale è Vaticano transferebatur, & in

Digitized by Google

primâ congregatione adimebatur regimen Romæ Dno Arimberto, & deferebatur ad Roſpiglioſum; cæterum omnibus aliis officia confirmabantur. In congregationibus, quæ ſingulis diebus fiebant in ſacriſtia D. Petri, videbatur jam fore, ut illud conclavi multum duraret, propter diverſa & obſtinata partium ſtudia in eligendo Pontifice: conjunctio multorum noviſſimè ad dignitatem purpuræ evectorum evulgabatur, qui ſeipſos nomine *Squadrone* volante inſigniebant. Cum rogarentur à Principe Pamphilio, ut conjuncti principem ſibi ſumerent; hanc autoritatem deferri optabat ad Joannem Carolum Medicæum propter natalium ſplendorem, & quod in Collegio novo purpuratorum primus eſſet, & quod ante alios illi Innocentius X. faviſſet: Illi recuſarunt id, reſpondentes, ſibiipſis neque caput, neq; pedes deeſſe. Poſt undecim dierum functiones ordinarias cantatâ Miſsâ Sp. S. à Subdiacono, ingreſſi ſunt conclave cum proceſſione, prout conſvetum eſt d. XV. Januar. qui dies celebris eſt, quod eo Ec-
cleſia

Digitized by Google

cleſia Cathedralis D. Petri fundata eſt. Abſumebatur dies recipiendis viſitationibus Romanorum titulis clarorum, & veſpera viſitatione Legati Hiſpanici, Terræ Novæ Ducis. Illius cauſa operæ pretium duco hîc ſubſiſtere paululum. Parum erat amicitiæ inter illum & dictum Medicæum, ideo, quamvis unum haberent finem, parum concordes erant in mediis, ad hunc finem ducentibus. Videbatur Legato Medicæum non ſolùm cõmodo Hiſpaniæ Regis ac etiam proprio ſtudere, & ut vir, qui totum ſe Hiſpaniæ ſaluti ſacrificare tenebatur, ex minimis ſuſpicionem capiebat. Non deerant Cardinales, qui in illius animum ejuſmodi ſuſpiciones inſtillarent: ille nondum ſatis ſtatu curiæ Romæ perſpecto forſan non ſatis ſagax erat ad diſcernendum ſpecioſa conſilia à veris & ſynceris. Hinc in Viſitatione Cardinalis Decani, cui aderat Medicæus, dicebat hic Legato, non è re eſſe publicare diffidentes Hiſpaniæ; quoniam hanc ob cauſam facilè ſe jungerent contrariis factioni Hiſpanicæ; magis ex uſu eſſe dicere, Re-

 gem

Digitized by Google

gem proſpecturum, prout neceſſitas exi-
geret: quando diffidentes illos publicare
neceſſe eſſet, Medicæos indicaturos, &
tunc eſſe opus animum attendere. Legatus
reſpondebat, hoc ſe non habere ita à
Rege in mandatis. Poſtquam ita invicem
certaſſent, dicebat Card. Medicæus, Legatum
magis propriis, quàm Regis commodis
animum applicare; idem replicabat
contra Cardinalē Legatus, qui in aliorum
Purpuratorum viſitationibus non cōſtans
erat: quibusdam dicebat, Regem ſuum
nemini diffidere, quosdam ad Card.
Medicæum mittebat, ut cognoſcerent
Regis animum: ut ſummatim dicam, negotiabatur
adeo ambiguè ut illi, qui Sachetto
favebant, bonam ſpem caperent,
fore, ut conatus eorum proſperum ſortirentur
eventum. Poſt obitum Urbani VIII.
apertè excludebant Hiſpani Sachettum
Pontificis dignitate. Cauſæ, quoniam non
ſunt declaratæ, ſpeculandi anſam dedere
politicis: multæ quidem adducuntur, at
vera à paucis aut nemini. Erat hic Cardinalis
nuncius in aulâ Hiſpanicâ, & in illo
offi-

officio eandem, quam in omnibus aliis ſemper adeptus eſt laudem. Ibi Cardinalis creabatur ab Urbano VIII. reverſus Romam ſemper demonſtrabat, ſe eſſe Hiſpanis addictam, ut plerumque nūncii erga illos, apud quos id officiū exercuerunt, faciunt, niſi aliquid accidat, quo amicitiæ fundamentum, in malevolentia fomitem mutetur. Quidam volunt, quod Olivarius, primus Hiſpaniæ Regis miniſter & unicus iſtius Monarchiæ arbiter diffiſus ſit ei, & quod ille jecerit fundamenta ad arcendum illum hac dignitate, quæ longo tempore poſtea illi obſuerint. Alii dicunt Medicæos, deſiderio ardentes ſuos ſubditos, poſtquam malè ab Urbano VIII. habiti ſunt, ab hac dignitate arcendi, hoc à Rege Hiſpaniæ impetraſſe. Alii dicunt, cum Hiſpani in Aula Regis machinarentur perſecutionem Barberinorum, proponebant etiam ſecum firmisſimè, ſe nunquam alicui eorum, qui Barberinis admodum addicti ſint, pontificatus dignitatem permiſſuros. Alii dicunt Hiſpanos cognoſcentes eum eſſe Mazarino amicisſimum

mum, hoc ei impediviſſe. Tandem alii dicunt, quod odium Hiſpanorum attraxerit, conſulendo ut novus Luſitaniæ Legatus admitteretur à Pontifice, illi pro malevolis omnes habent, qui non etiam in minimis maximo ſtudio illorum commodis ſerviunt, & pro inimicis, qui dubitant, an omnes teneantur id, quod illi deſiderant, illorum cauſa facere, aut qui ſuſpiciantur, etiam in illorum electionem, poſſe cadere defectum. Quæcunque cauſa fuerit, ille pro diffidente declarabatur à Cardinale Albernozzio, neq; Barberinorum potentia confirmata quinquaginta aliis valebat eum ad hanc dignitatem tollere, niſi fuerint ſimulata ea, quæ Princeps Barberinus ejus cauſa geſſit; quod in aula evulgabatur, & veriſimile fiebat, quia omnia, quæ tractabat pro eo, imperiosè agitabantur. Conſtans eſt opinio, & jam proverbio declarata, *ſemel excluſus ſemper excluſus*; quod Hiſpani ſemper ſe opponant promotioni ejus, qui ſemel ab hâc dignitate ab iis prohibitus fuerit, ideo à creatione Innocentii X. creditum fuit, eos ſemper Sa-

chet-

Digitized by Google

chetto impedimento fore. Nihilominus hæc regula habet aliquãdo exceptionem. Cardin: Aldobrandinus habebatur à Philippo I. pro diffidente propter Patrem ejus Sylveſtrem, quem Paulus IV. dilexerat: in tribus conclavibus Hiſpanos adverſarios habebat, in quarto ipſo Regis favore voti fiebat compos. Eam ob cauſam poſtquam Innoc. X. ad Pontificatus honorem eſſet aſſumtus, miſit Sachettus in Hiſpaniæ aulam Abbatem Altovici ſuum nepotem, & quia fortaſſe, ut diximus, amicitia Mazarini Hiſpanorum malevolentiam ſibi acceſſiverat, quod ſe jam detexiſſe arbitrabatur, mederi huic malo egregiâ quadam ratione allaborabat. Publicè fatebatur ſe eſſe Mazarino amiciſſimum, ac addebat, ſe exinde eſſe multo aptiorem adſerviendum Hiſpanis, ſi aliquando eveheretur ad Pontificatum: his temporibus nihil eſſe Hiſpanis utilius pace, quod ipſi Hiſpani negare non auderent, ſed Regem Galliæ non eſſe ad ineundam eam proclivem, niſi ad hoc adduceretur à P. Mazarino: illum verò à nemine ad hoc adeò poſſe adduci,

 quàm

quàm à Pontifice, qui ſibi verus amicus fuiſſet, antequam hunc honoris & potentiæ apicem attigiſſet: ſine hoc illum Cardinalem, ſtabilitâ jam ſuâ fortunâ extra Dominium Eccleſiæ, non pluris facturũ Pontifices, quàm alii externi Principes faciunt. Hiſpani dabant bonum & confidentiæ plenum reſponſum, & ad exhibendum clarius benevolentiæ ſignum, donabant cuidam ſuo nepoti adhuc infanti dignitatem equeſtrem S. Jacobi.

Cæterum adhærentes Sachetto adeo vehementer pro eo laborabant, ut multi eorum obſtacula Hiſpanorum facilè ſuperari poſſe judicarent: multos enim amicos in utroque collegio veteri & novo habebat, neque ullus erat, qui proprii commodi cauſa illi inimicus eſſet. Amor Barberinorum erga illum adhuc vigebat. Gratus erat Gallis propter Mazarinum, ideo magis Hiſpanis exoſus erat. Card: Lomellinus, Chiſius, Conradus, Imperialis & Albicus erãt illi tam amici, quàm proprio commodo, quod in conclavi capere poſſent: Domina Olympia, minus ab eo, quàm ab

aliis

aliis Pontificatus Candidatis timens jam lucrabatur vota Azzolini & Gualtieri. Aetas ejus vegeta poſt ultimum conclave adeo jam erat matura facta, ut cenſeretur ætate gravibus id nihil horroris afferre poſſe. Opinio vitæ ſanctimoniæ, experientiæ in negotiis, & eruditionis acquirebat illi omnium applauſum. Sex menſes ante Innocentii obitum ſtudia erga Sachettum detegebantur: qui illi adhærebant, cum viderent Pontificem haut fore diu ſuperſtitem, at animadverterent Hiſpanos omnem lapidem moturos, ne Sachettus ſummum hoc faſtigium ſcanderet, inter ſe fœdus faciebant ad promovendum Sachettum, & XXXIII. vota pro illo acquirebant. Primus omnium Cardinalium Capponi9 hoc detegebat, & ſubito de hoc certiorem faciebat Cardinalium Joannem Carolum. Poſtquam ille de hoc locutus eſſet cum Cardinale Decano, omnia diſſimulabatur ab iis, & occulta conſtruebantur valla ad eludendum inimicorum impetum. Cardinalis Barberinus, quamvis haud eſſet alienus à deſiderio evehendi Sachet-

chettum, ſemper tamen exiſtimabat hos conatus & ſtudia eſſe plena ejusmodi difficultatem, quæ nunquam ſuperari poſſent: nihilomiuus animadvertens, quàm utilis propriis commodis ſupra dicta conjunctio eſſet, ſimulabat approbare ea ſtudia, & promittebat ſuam opem, ut illa deſideratum ſortirentur eventum. Inſidiabatur ille conclavicum propoſito evehendi Conradum. Natus eſt Conradus Ferrariæ, & per conſequens ſubditus Alfonſi Eſtenſis, & quamvis dominium ejus nunc eſt Eccleſiæ ſubjectum, nihilominus ille ſemper ſtuduit Eſtenſibus. In primâ juventute erat, neſcio quâ in re procurator Ducis Mutinenſis Ferrariæ: ipſius opera poſtea jungebatur matrimonio Lucretia Barberina Duci, & inter alias conditiones apponebatur ea, ut operam Barberini darét, ut Conradus in futuro conclavi in Pontificem eligeretur. Non erat multum hic contrarius genio Barberini; excepto eo, quod haut ſit ejus creatura; in cæteris erat Barberinus contentus. Vocaverat eum Romam, & fecerat eum Arditorem Rotæ

in

Digitized by Google

in Pontificatu Patrui, deinde nunquam illum offenderat: Signa lætitiæ dabat, cum purpurâ ornaretur, & multis amoris documentis confidentiam adaugere volebat: videbat tamen ſtudia erga Conradum tractura ſecum multa, quæ ſuo commodo & propoſito obeſſe poſſent. Hiſpani, qui non habebant alienum animum à Conrado, animadvertentes eum eſſe ab illo propoſitum, facilè cauſam ejus indagaſſent, & conſequenter ſummo ſtudio & labore hac dignitate eum prohibuiſſent. Cauſæ odji inter Mutinenſem & ipſos Hiſpanos notæ ſunt: & cognitio aliquem diligi à Mutinenſi ſufficiebat Hiſpanis, ut eundem odiſſent. Veriſimile erat creaturas Urbani VIII. videntes, ſe poſtponi cuidam ab Innocentio X. creato ſolutos gratitudinis officio, omiſſuros adhærere illorum principi. Ejus juventus, parva experientia & natura ſatis lenta nullam dabant ſpem; fore ut ille à Collegio ſine obſtaculo & contentione acciperetur: conducere igitur credebat hos conatus, occulere usquedum tempus magis commodum præberet

Digitized by Google

ret occaſionem utilia in hoc faciendi. Fingebat ideo apud adhærentes Sachetto, ſibi nihil aliud eſſe propoſitum, quàm renovare operam in antecedenti conclavi eidem navatam, ſe tam magno teneri deſiderio eum promovendi, ut lubenter loco capitis membrum eſſe cuperet, ut ei ſatisfaceret. Ita amorem illorum Cardinalium acquirebat, cogitans ſe illos ad ſua ſtudia, ſi Sachettus ſpe fruſtraretur, attracturum. Scripſit Mutinenſi Duci, ut aliquam ſpem tollendi ad Pontificatum Conradum habere poſſet; primum eſſe tentandam Sachetti creationem, quo Dux contentus, admonebat ipſe Franciſc. Barberinum, ut ſummo ſtudio laboraret, Sachettus vir meritis conſpicuus illa dignitate condecoraretur. Antequam adhærentes Sachetto conclave intrarent, conſtituerant ſecum, ne de ſuâ electione ageretur antequam alii prætendentes, qui numerum XXII. faciebant, eſſent à ſpe dimoti, & conclave jam longâ morà defatigatum: Et judicatum eſt ab omnibus, nimis maturè de provehendo Sachetto fuiſſe actum: Feliciorem q; eorum

rum conatus potuiſſe haberent exitum, ſi plus moræ interpoſuiſſent. Per ambiguos Legati Hiſpaniæ ſermones judicabant factionem Hiſpanorum non tenere ordinẽ; quod tam audaces illos reddebat, ut ſua ſtudia manifeſtarent, ſperantes fore, ut in illo tumultu adverſarii attoniti redderentur, & illi victoriam reportarent. Barberinus conveniebat quendam Cardinalem amicum Sachetti non tamen è numero factionis di *Squadrone volante*, illiq; clam dicebat; ſis alto animo, habemus Sachettum Pontificem, & hoc eo gratius eſt, quia caremus faſtidio, quod aliàs per moram conclavis cepiſſemus. Medicæus nihil omittebat, quo Sachettum hac dignitate prohiberet, & partim ipſe partim per alios adhortabatur Hiſpaniæ adhærentes, ut officii ſui memores eſſent. Confirmabat ſeniores purpuratos, ne conſentirent, dicens cuilibet eorum, ſe non habere alium ſcopum, quàm ſe deferendi ad ſe ſummam illam dignitatem. Incredibile eſt quàm facile ſit, ſe obcœcari pati amore proprii commodi: penes hoc arbitrium
eſt

Digitized by Google

eſt hominum affectuum, neque ullus tam ſapiens eſt, qui non cedat ejus vanæ ſpei. XXII. Cardinales aſpirabant ad Pontificatum: major pars conabatur hunc obtinere ſtudiis ſibi adhærentium. Quilibet patiebatur ſibi inſidias ſtrui à Principibus factionum; quilibet ſpe tenebatur, ſe plus reliquis ab iis diligi. Hinc certisſimum eſt Barberinum ſecum cōſtituiſſe ſeſe oppoſiturum creationi omnium ſuorum Pontificatus Candidatorum, exceptis Sachetto, Rapacciolo & Fachinetto, nihilominus omnes reliqui, & præſertim Ginettus, Carpegna & S. Clemens fidem habebant ſuis promiſſis. Ante ingreſſum in conclave ſignificabat unicuique per Principem Palæſtrinum, ſe nihil plus in votis & optatis habere, quàm creare quemlibet eorum addebat ſe ei devinctum eſſe, & hoc eſſe conveniēs. Carpegna timere poterat oppoſitionē Barberini; nimis Medicæorum erga illum benevolentia nota erat, at accepta purpuræ dignitate Barberini favore, & præſtitâ ei ſemper interruptâ obſervātiâ fidebat ſuo favori. Ginett9 & S. Clem: crea-

Digitized by Google

creaturæ ſunt Urbani VIII, neque ulli alteri honorem purpuræ debent; quoniam illum neque divitiis, neque ſervitiis Eccleſiæ per longum temporis ſpatium præſtitis acquiſiverunt: uterque ſenex, & omnia ea poſſidet, quæ ſufficiunt, ut inſcribatur aliquis Candidatorum numero, nihil minus oppoſitione & averſione Barberini timendum habere videbantur.

Die XIX. Jan. tempore matutino non fiebat ſcrutinium: Conclave enim nondum erat clauſum. Numerus Cardinalium & illis inſervientium tam magnus erat, ut opus conclavi eſſet majori ſolito circuitu, quod, antequam abſolveretur ſecundum diſpoſitionem Bullæ Pontificiæ, diem conſumebat. Illa mora tantùm Hiſpanis utilis, quantum Sachetto noxia videbatur. Illi ſatis ſpatii habebant confirmandi excluſionem Sachetti principio ambiguitate Ducis Terræ novæ vacillantem. Hic ſatis perdebat, quoniam impetus ſibi adhærentium, ut plerumque cum tempore fit, languidus fiebat. Totus ille dies impendebatur à diverſis partibus negotiis, ex-

Digitized by Google

ſpectabant omnes ut principium prælii, primum ſcrutinium. Die XX. manè intrabant Cardinales in Sacellum Sixti ſervantes ordinem & ſolemnia, quæ cum & in aliis conclavibus obſervata fuerint, narrare omittimus. Cardinalibus Barberino, Ludoviſio & Azzolino ſorte obvenerat, ut ſcrutinia facerent eo manè. Cardinalis Decanus honorabatur duobus votis in ſcrutinio, & duobus in acceſſione: Sachettus X. in ſcrutinio & X. in acceſſu; Ginettus uno in ſcrutinio & uno in acceſſu: Capponius tribus in ſcrutinio, uno in acceſſu: Palotta duobus in ſcrutinio & uno in acceſſu. S. Clemens, Fachinettus, Grimaldus, Rapacciolus, Giorius, Cecchinus, Cherubinus, Imperialis, Caffarellius, Albicius, quilibet eorum habebat tantum in ſcrutinio unum votum: Caraffa XIII. in ſcrutinio & VIII. in acceſſu: Chiſius XI. in ſcrutinio, & IV. in acceſſu: Conradus III. in ſcrutinio & IV. in acceſſione. Reliquis nullum datum erat votum; in acceſſu erant XXIII. Schedulæ, quæ dicebant, *accedo nemini*. Ita finiebatur primum ſcru-

ſcrutinium. Ex ita diſperſis votis conjiciebatur, adhærentes Sachetto tempus protrahere, ut melius illorum conatus ſcopum attingere poſſent. In ſcrutinio veſpertino parum variabatur, niſi quod non nullis dabantur vota, quibus in matutino planè caruerant. Numerus eorum, qui accedebant nemini idem erat. Sequenti die habebat in ſcrutinio matutino Sachettus & acceſſu XXII. vota; Caraffa & Chiſius fere tot, quot antea, idem in veſpertino eveniebat. Ex hoc argumentum capiebatur, fore ut conclave per longum temporis ſpatium duraret, & ſimul judicabatur, quales eſſent vires factionib9. Credebatur illos, qui in acceſſione nemini votum dabant, eſſe Hiſpanos, & quod hoc eſſet ſignum illorum conjunctionis. Illi jam erant ſufficientes ad arcendum Sachettum Pontificatu; ita ſpes ejus evaneſcebat, & nullum huic lapſui remedium applicari poterat: reliqui qui ſparſim ſua vota dabant eidem Sachetto, Chiſio & Caraffæ, declarabant, quod quilibet eorum, ex re Eccleſiæ & prout iſtius commodum

 ſecun-

Digitized by Google

ſecundum illorum judicium, id exigeret, facturos eſſe, & quod haud ſecum conſtituiſſent votis ſuis dignari alios.

Die XXIII. tempore matutino paululum conclave attonitum & ſuſpēſum reddebatur, ſed plurimum inde Mediçæi turbabantur. Dabantur 1. Cardinali Franciſco Barberino in ſcrutinio & acceſſione XXXI. vota: non dubitabant, quin ille eſſet Pontifex, ſciebant tn. jam in deſuetudinem abiiſſe conſuetudinem, ad nepotem alicujus Pontificis deferendi Pontificatum. Eugenio IV. interpoſitis aliquibus Pontificibus ſucceſſit Paulus II, eodem modo Calixto III. Alexander VI. Pio II. Pius III, Sixto IV. Julius II, Leoni X. Clemens VII. poſt illa tempora, nunquam in eadem familia hæc dignitas fuit duplicata. Farneſium neque amor Cardinalium, neque exiſtimatio principum, neque commodum Regis Hiſpaniæ propter Alexandrum ejus nepotem ad dignitatem illam, quam patruus ejus poſſederat, provehere poterat. Cardinalis Barberinus amatus quidem erat à Cardinalib. at non adeò, ut illum deſide-

ſide-

Digitized by Google

ſiderarent Pontificem, neq; talem de ejus ſanctitate opinionem habebant, ut judicarent illum poſſe reſpondere, ſi Chriſtus ex eo quæreret, *amas me plus his? etiam Domine tu ſcis, quia amo te.* Notum erat multos ſuorum fuiſſe malè ab eo habitos, multos ab iis, qui Innocentio X. addicti, illi manifeſte eſſe inimicos: tamen Medicæi animadvertebant, Papam non poſſe creari ſine Barberinorum auxilio, & exitum conclavis eſſe fere deſperatum, niſi cum illo paciſcerentur. Ut Medicæi ad has cogitationes adducerentur, dabantur tam multa vota Barberino, & impetrabatur id, quod deſiderabatur. Medicæi fuere conſtantes in recuſando colloquio cum Barberino. Medicæus Cardinalis ab obitu Urbani VIII. nil prius habebat, quàm Romam venire: viſitari nolebat à Domino Thaddæo, qui primum illum videre cupiebat, & ita Cardinali Franciſco & Antonio Barberinis via idem tentandi obſtruebatur. In conclavi Urbani cum nemine eorum colloqui volebat, & poſtquam Iñocentius X. creatus eſſet perſeverabat in eodem propoſi-

 to.

Digitized by Google

to. Idem fecit Joannes Carolus, cum veniret ac accipiendam mitram Cardinalitiam. Paucis menſibus ante obitum Innocentii X. accipiebat viſitationem Decanus ab Antonio Cardinale, & id deſiderio Regis Galliæ, qui Legato Thuſciæ Pariſiis ſignificabat, ſibi diſplicere, Cardinalem Antonium ſibi adhærentem & dependentem à ſuâ coronâ reputari inimicum Medicæorum. Odium contra Franciſcum continuabatur, aures tamen arrigebantur alicui, qui de reconciliatione loquebatur. Hæc pervicacia mutabatur, cum videret ſine Franciſco Barberino nullũ poſſe creari Pontificem; & ita poſt aliquot dies colloquebantur. Cardinalis Joann. Carolus gratulabatur ei de votis, quæ in ſcrutinio habuerat, reſpondebat alter, hoc eſſe ad ſerviendum ei. In illo colloquio tantùm verba officioſa miſcebantur, circa creationem Pontificis nihil agebatur, niſi, quod eſſet, neceſſariũ creari hominem bonum & aptum neceſſitatibus & calamitatibus Eccleſiæ, quæ quotidie adaugerentur. Diverſis temporibus poſtea conveniebant,

at

Digitized by Google

at nihil præter ejusdem repetitionem agebatur, & cognoſcebatur ex eorum colloquiis nullam oriri confidentiam, neq; præterita oblivioni eſſe tradita. Inter ea factio, cui nomen Turma volans, declaravit, ſe nolle alium, quàm Sachettum ad Pontificatum admittere, & cum primum collecta vota pro eo ſtarent intra numerum XXV. & XXX; interdum erant plura, interdum pauciora; jam ad aucta implebant XXXIII, neque amplius augebantur, neq; minuebantur. Dicebant Italicè O Sachetti, ô Cataſetta, hoc eſt, ſe creaturos Sachettum, aut morituros in conclavi. In Principio conclavis non aderant Archiepiſcopus Neapolitanus & Genuenſis, Landgravius Hasſiæ & Cardinalis Harrach. Legatus Hiſpaniæ obviam ibat Archiepiſcopo Neapolitano, conſulebat ei, ut nullam ejus, quod Medici ei dicerent, rationem haberet circa excluſionem Sachetti, ſe credere, aut potius ſcire, ei præcipuè obſtacula objici à Florentinis, & non à Rege Hiſpaniæ: idem dicebat Haſſo & Durazzo: tamen conſideratio, eum haut dependere ab Hi-

Digitized by Google

ſpanis, cauſa erat, cur paulùlum mutaſſe, in hoc colloquio priorem opinionem videretur. Adventus Cardinalis Harrachi, qui erat ultimus, mutabat planè ſermonem Legati, quoniam, poſtquam illum Cardinalem usque ad conclavis portam comitatus eſſet, obvios habebat Cardinales Aquamvivam & Haſſum, dicebat, quod juſſu Regis ſui declararet Sachettum diffidentem, & deſiderabat hanc ſuam declarationem ſignificari Cardinalibus ſubditis Hiſpaniæ, & præſertim Homodæo & Borramæo. Celabat Legatus veram hujus mutationis cauſam. Operæ mihi pretium videtur ad informationem Lectoris in lucem proferre ea, quæ ab illo & aliis circâ hoc negotium acta ſuére. Card. Medicæus in primis conclavis diebus animadvertens Legati animum dubium & ambiguum, ut ſupra diximus, ſcripſit Proregi Neapolitano, & valde conqueſtus eſt per Legatum volũtatem Regis fruſtrari; eum, quãvis præcipuus Regis eſſet in curia Romanâ miniſter, ſtudere, ut creatione Sachetti jam olim excluſi & manifeſtè adhæ-
rem-

rentis publicis Hiſpaniæ hoſtibus maximū afferatur Monarchiæ Hiſpanicæ præjudicium: rogavit Proregem, ut operam ſuam in tanti momenti negotio interponeret, & ſi ſua autoritas eo usque extenderetur, revocaret ab hoc officio Legatum. Prorex acceptis his literis, illico ſignificabat id Proregi Siciliæ & Gubernatori Mediolani; ſcribebat iis, ſibi in inſtructione eſſe indicatum, Sachettum eſſe diffidentem: at ſi Legatus idem non haberet in mandatis, aut diceret, ſed id non habere, ſe neſcire, quid eſſet agendum; proinde eorum conſilium rogare, ne ſe periculo erroris in tanti momenti negotio objiceret. Omnes ei conſulebant, ut Legato indicaret, ſibi fuiſſe indicatum in inſtructione, Regem diffidere Sachetto; hoc ipſo ſe officio boni miniſtri functurum, & errorem Legati in excuſabilem redditurum. Legatus Proregis literis acceptis, ſequebatur ea, quæ prorex ſcribebat, & impediebat ne multi cauſam interponentes è re Hiſpaniæ eſſe Sachotti creationem, inpoſterum cum aliis concurrerent ad ipſi favendum: dicebat,

 ſe

ſe hoc quæ antea egerat arte feciſſe, & haud perſvaſione alicujus Hiſpaniæ miniſtri animi ſenſa mutaſſe. Dicebat quibusdam, ſe noluiſſe videri in principio cõclavis arcere Cardinalem tantæ exiſtimationis, ne natio Hiſpanica exinde odiũ conflaret in conclavi, & adverſarii comodum caperent; ideo initio conſulto ambiguè fuiſſe locutum, ut detegeret, quid diligentia & ſtudia factioſorum volantũ molirentur: qui dicebant, iniquisſimè & proditoriè agi cum Dei Eccleſia impediendo, ne illa capite omnibus prætendentibus meritis ſuperiore & regimini aptisſimo frui poſſet: cum poſtea vidiſſet, primum eorum impetum haut fuiſſe adeo fortem, ut non potuerit repelli à factione Hiſpanicâ, ſe deinde oportunè publicâſſe Regis voluntatem. Querebatur inſuper de Sachetto, dicens, quod ille ſibi ſæpius dixiſſet, illum habere literas à Rege, in quibus revocaſſet excluſionem ſemel publicatam, & quamvis ſæpius petiiſſet has ſibi monſtrari, nunquam id potuiſſe obtinere. Cardinalibus quærentibus, quare principio non ita

locu-

Digitized by Google

locutus eſſet, reſpondebat, ſe putâſſe eos potuiſſe ex nutu ipſius animi ſenſa intelligere, ac quoniam jam hoc non ſufficeret, eſſe coactum ut clariſsimè voluntatem Regis indicaret. Hæc tamen declaratio loco finem imponendi ſtudiis pro Sachetto, ea plus confirmabant, neq; Borromæus neq; Aquaviva ſe abalienabant à factione volante, imò magis in propoſito firmi videbantur.

Evulgabatur in conclavi ſcriptura quædam vulgo attributa Cardinali Albicio, ac à multis Advocato Cinio: in eâ autor ſtudet probare, nullum Principem ſecularem ſine peccato mortali & debito damna, quæ exinde reſultant, reſarciendi, poſſe ſe opponere liberæ electioni Pontificum: quod Cardinales mortale peccatum committerent, ſi Regum aut Principum intuitu omitterent ei, quem digniorem judicarent, vota dare. Hæc ſcriptura erat compoſita, ut JCti ſua componunt, plena allegationum: omnia autoritate autorum cõfirmabantur. Rumor erat in proximo conclavi alium tractatum eſſe editum, in quo

Digitized by Google

quo probetur Cardinales non debere ad apertè à Rege quodam Chriſtiano, cui magna pars Cardinalium ſubſit excluſum, Pontificatum deferre. Antè dicti tractatus autorem eſſe Cardinalem Lugum fama erat, quoniam major pars allegationum ad probandum Reges aut Principes non poſſe ſine culpâ gravisſimâ rejicere aliquem, neq; Cardinales teneri ejus rationem habere, deſumta erat ex libris iſtius Cardinalis: huic libello dabatur reſponſum: nihilq; ille imprimebat Cardinalibus. Hiſpani credebant quod Albizius aut verus aut fictus autor illius non ſolùm ſuo more in conclavi agere vellet, ſed etiam prætenderet alios ad ſuas partes trahere, & dare illis leges, loco accipiendi eas.

Quodam manè loquebatur Fabæus ceremoniarum Magiſter acriter cum quodam Concla viſta contra illos, qui Sachetti electionem impediebant; quod illi impedirent digniorem electionem, quæ illo tempore forſan fieri poſſet, & per conſequens eſſent rei omnium illorum damnorum, quæ ſine ejusmodi capite ferret Ec-

ccle-

Digitized by Google

cleſia: Cognito hoc ab Hiſpanis injungebant in illorum congregatione Mediçæo Joanni Carolo, ſignificaret Fabæo, impoſterum cautius & modeſtius illorum actiones cenſeret. Cardinalis ille id exſequebatur eo modo, quem judicabat aptisſimum obſtruendæ viæ iſtiusmodi invectivarum.

Initio Quadrageſimæ incidebat in morbum Cardinalis Trivultius, & quamvis morbus non eſſet adeo gravis, ut conclavi exire cogeretur, timor tamen, ne perderet vigorem, illum egredi faciebat. Pauló poſt apoplexai interimebatur Card. Petrus Ludovicus Caraffa, corpus ejus transferebatur in Eccleſiam Jeſu, ubi exponebatur cum honore debito Cardinali & Principi ex ejusmodi familia. Multi conſtituerant ſecum eum Pontificem deſignare, id poſſe ſuccedere arbitrabantur; exiſtimatio ejus bonitatis erat ordinariâ major. Coloniæ cum Nuncius eſſet ſe geſſit egregriè Innoc. X. initio pontificatus ſui eum Cardinalem faciebat, putans purpuram ejus meritis deberi; in affabilitate & ſanctitate morum à nemine ſuperabatur, & ideo aut

pau-

paucos aut neminem habebat inimicos: at ratione ſuæ familiæ parum ei Columnæ erant amici, & quoniam Urbani VIII. tempore Cardinalis Barberinus ei purpuræ honorem impediverat, poterat & nunc ejus evectioni ad Pontificatum reſiſtere; Creaturæ Innoc. X. adjuvâſſent eum. In Hiſpanis prævalebant exiſtimatio ejus indolis, & ſervitia Fratris Principis Biſignani tempore Pauli IV; Medicæi amabant eum plus omnibus aliis. Duo opponebant ſe ejus electioni, unum erat pedum impedimentum, non poterat pedibus incedere: haut conveniens videbatur, etiam ſi diſpoſitioni Canonum haud contrarium eſſet, renũciare Pontificem ineptum primæ functioni & celebrationi unius Miſſæ: alterum erat, recens adhuc recordatio ſuæ Legationis Bononienſis, quâ ſe abdicare propter ineptitudinem cogebatur; hoc ſufficit, quod mortuus ſit cum opinione, ſe potuiſſe eſſe Pontificem; & cum multo majori Conclaviſtarum Encomio vitam finiviſſet, ſi ſe minus avidum dignitatis Pontificiæ præſtitiſſet.

Scu-

Digitized by Google

Studia erga Sachettum haut deferveſcebant: factio volans pro eo plus, quàm unquam laborabat: Barberinus juvabat ardorem: Galli poſt primum etiam impetum conſtantes manebant: Hiſpani propriæ defenſioni invigilare opus habebant. Adventus Domini de Lion cum titulo Legati Galliæ adaugebat conſtantiam in ſuis. Silentio non poteſt involvi illum Legatum eleganter ſcripſiſſe conclavi, & expoſuiſſe deſiderium Regis Galliæ circa electionem hominis Pontificatui apti & ferendo ejuſmodi oneri parem: narrabat, Eccleſiam premi bellis civilibus Catholicorum intus; foris hæreſibus & paganiſmo: Dicebat, Pontificem procul debere eſſe à ſimoniæ corruptione, & non ita ut defunctus Pontifex fuiſſet, infectum: ut ſummatim dicam non adeò Cardinales adhortari, quam dictum Pontificem reprehendere volebat. Dicebatur Gallos conſulto loqui cum tanto contemtu de illo Pontifice, ad demonſtrandum, ſe non habere cauſam pœnitendi, quod Innocentius Pontificatum invitis iis obtinuiſſet. Diſpli-

plicebat hæc Epiſtola illis, quos benevolentiâ Innoc. X. complexus ſuerat, neque veritas tantum in iis poterat, ut non daret locum amori.

Vota pro Sachetto ſemper in numero XXXIII. ſe continebant. Hiſpani ſemper in acceſſionibus formulam *accedo nemini* continuabant. Cardinalis Cæſius cum quodam manè è ſacello prodiret, poſt factum ſcrutinium dicebat facetè; nũquam Pontificem faciemus, niſi concordes fiant Cardinales Nemini & triginta tria. Sachettus cum animadverteret, quamvis ejus promotores eſſent conſtantisſimi, nihilominus ſuam Electionem fere ad deſperationem veniſſe, incipiebat cogitare ad electionem Chiſii: ſuos adhærentes ab hoc non abhorrere videbat: de factione volante non dubitabat, quoniam eorum declaratio, ſe velle evehere bonũ virũ, omnem removebat ſuſpicionẽ, eos nõ fore promtos ad eligendum tam magnæ exiſtimationis virum. In Gallis tamen non eundem inveniebat ardorem, quem neceſſarium judicabat ad ſalutarem finem negotio im-

ponen-

Digitized by Google

ponendum. Grimaldus dicebat ei, hoc eſſe difficile: quoniam Cardinalis Barberinus ſibi dixiſſet, ſe præter ſuos neminem admiſſurum, neque Chiſio hanc dignitatem conceſſurum. Sachettus putabat difficultatem venire à Gallis, ſcribebat Mazarinio ad ſavendum Chiſio: dicebat, poſtquam conclave intraſſet ſe ponderaſſe, quanta ſervitia deberet Eccleſiæ, & quod obſervare juramentum bis in die reiteratum teneretur, & ideò ſe ſemper cogitaſſe de evehendo Chiſio; quod ille haberet favorem collegii propter certitudinem ejus meritorum & virtutum ſingularium; at poſtquam locutus eſſet cum adhærentibus Galliæ, ſe inveniſſe tantas difficultates, ut memor eorum, quæ ſua Eminentia ſibi ſæpius ſcripſiſſet, poſſet conjicere excluſionem à Galliâ eſſe timendam; quod officia Regi Galliæ & ſuæ Eminentiæ à ſe præſtita ſe adeo audacem facerét, ut affirmare haud dubitaret ſuſpiciones iſtas ex actionibus Chiſii eſſe vanas, & eſſe impoſſibile hominem ita ſyncerum aliud cõmodum, quàm publicam ſalutem quæſiviſſe Monaſterii,

Digitized by Google

ſterii. Se poſſe ſuæ Em: cõfirmare, eum habere de Gallia optimam opinionem, & ſi ad ſummam hanc dignitatẽ eveheretur, fore ut Galliæ commodo non aliter, quàm proprio ſtuderet: cõcludebat, ſi Galli arcerent hunc, tunc fore, ut confirmaretur opinio multorum, Gallos nolle pacem inire: quod nullam aliis in rebus Chiſius Gallis ſiniſtram ſuſpicionem præbuiſſet, quam cum demonſtratione ardoris, ut in Monaſterienſi conventu in eum finem inſtituto, pax iniretur: Mittebatur d. 13. Febr. curſor in Galliam, ut ad Mazarinum has literas perferret. Ultra ea, quæ publica commoda Galliæ tangunt, erat parum amicitiæ per alias cauſas inter Mazarinium & Chiſium. Cum Chiſius eſſet Coloniæ Nuncius, Mazarinus fuga ſalutem quærere coactus ſe Coloniam recepit, quoniam Principum Condæi & Contii & Ducis Longævillæ è carcere dimiſſio in Concilio erat decreta: interea ipſi Principes & Dux Aurelianenſis contra Regem inſurgebant; hoc cognito Mazarinus cogebat milites: hoc indicabat Chiſius Innocentio X, qui injunge-

bat

bat ei, ut apud Electorem Colonienſem conquereretur de permiſſione cogendi milites in ſuo Dominio, quoniam non tantum ageretur de bello inter Chriſtianos, ſed etiam de nutrimento belli civilis in quodam regno, & magis augendo incendio in domo Regiâ. Sequebatur Nuncius Pontificis mandata, & quamvis Elector iis non attenderet, tamen Mazarinius hoc offendebatur, & ab altera parte Pontifex magis animabatur ad favēdum Chiſio, & paulò poſt mortuo Panzirolo deferebat ad eum officium Secretarii Status. Tranſmiſſis dictis literis incipiebant de eligendo alio agere. Cardinalis Barberinus ſatis diligebat Card: Rapacciolum: conſtans erat opinio, ſi per Barberinum ſtetiſſet, neminem alium, quàm Rapacciolum fuiſſe electum. Fachinettus nihil operæ omittebat ad ſerviendum amico ejus, cum quo alter idem per mutuum amorem erat. Hiſpani, quamvis non deſiderarent Rapacciolum, quoniam exiſtimabatur amiciſſimus Barberino, nihilominus haud è re ſuâ judicabant, tam multorum electioni aper-

 tère-

Digitized by Google

tè reſixere; fingebant ideo, ſe non eſſe alienos ab eo. Antonius Barberinus ſimul cum Spada in curia Galliæ operam dederat, ut Galli ejus electioni reſiſterent, & obtinuerat id à Mazarinio. Cauſa interponebatur magna illa Rapaccioli neceſſitudo cum fratre Franciſco Barberino, cui ratione commodorum ſe deberet tantum opponere, quantum eſſet obligatus ratione ſanguinis convenire cum eo. Non ſe difficilem præbebat Mazarinius, iisdem cauſis, quibus Antonius impulſus, deſiderabat ſatisfacere Spadæ. In Conclavi Antonius mutabat ſententiam, dubium eſt perſvaſione fratris, an Eſtenſis, qui Rapaccioli electionem optabat, ad hanc mutationem eum adduxerint. Negotiari ideo pro Rapacciolo incipiebatur. Fachinettus nullam capiebat quietem; Eſtenſis pro more negotioſisſimus erat, (quod toto conclavis tempore ſine ullo fructu faciebat) nunc adibat hunc, nunc conveniebat alterum, at conatus carebant ſucceſſibus. Abbas Coſta erat conclaviſta Antonii, datus ei erat per inſtructionem Mazarinii

rinii

Digitized by Google

tinii, at ut vir, qui benè cognoſcebat, quantum Antonius Gallis deberet, & quid Mazarinius factum vellet, admonebat Antonium, ne huic electioni opem ferret, ſe hoc ipſo malè ſatisfacturum Gallis; at ille brevi perdebat confidentiam, quia magis Cardinali utilia quàm grata loquebatur. Manebat apud eum Butti, qui non omittebat eadem monere, & quodam veſpere dolenter dicebat Cardinali, quod teneretur ſignificare Galliæ, quam malè ſua Eminentia Gallis ſerviret, neq; poſſe ei impoſterum ſervire excuſationem allegatam poſt creationem Innocentii X, neminem fuiſſe, qui illum adhortatus eſſet, quid deberet agere: Hoc dicto quædam ſcripta, quæ fortè in manibus habèbat, ei relinquebat, & cubitum ibat. Veniebat poſtea conclaviſta alterius Cardinalis, & inveniebat Antonium plorantem, aut nimio dolore aut furore, & opus erat, ut Paulucci Pharmacopœus conclavis eum juvaret ad ſe recipiendum in lectum. Die inſequenti conſtituebat ſecum ſcribere ad Mazarinium, ut revocaretur excluſio, de quâ Do-

minus de Lion jam ſtrepitum faciebat ad rotas, propter tractatus, qui poſſent tantum Regi præjudicium adferre. Interea malè ſe habebat Spada, quod magni morbi præludium judicabatur, & ita cauſa, cur ille conclavi exiret, tegebatur. Dicebat facetiſſimè Cardinalis Montalto, *ſolus raparum odor infirmum reddidit Spadam. Quid mali pateretur, ſi illas ederet?* Exibat ideo Spada, & ſcribebat in Galliam, ut impediret Rapaccioli electionem. Morbus non adeo gravis erat, ut eſſet ineptus negotiari cum omnibus, qui ſecum tractare volebant. Primum tractabat cum Domino de Lion ad confirmandum eum in propoſito, poſtea cum Legato Hiſpaniæ, ex quo cognoſcebat, Hiſpanos & Medicæos ſeriò agere de Electione Rapaccioli. Hic neceſſarium judicio, ut clarius res intelligatur, repetere à principio cauſam odii Spadæ contra Rapacciolum. Hic Cardinalis poſt Innocentii X. electionem, ſcripſit relationem conclavis, at cum ea propter proprium commodum eſſet ſcripta, non poterat ea eventuum veritati eſſe con-

Digitized by Google

conſentanea: odium & amor venenum ſunt hiſtoriæ. Finis relationis erat demonſtrare, Cardinalem Barberinum voluiſſe ſemper evehere Innocentium X. ad illam dignitatem, & hoc ipſo mitigare animum Pontificis jam in damna Barberinorum propenſum; ad demonſtrandum id, oportebat probare tractatus de aliis eligendis non fuiſſe ſeriò à Barberino inceptos aut promotos; quod neminem præter Pamphilium exiſtimaſſet dignum Pontificatu. De nonnullis judicabat, & quid mundus de iis opinatus eſſet, ſi ad Pontificatum perveniſſent, interpretabatur. Hoc multos offendit: quoniam ii ipſi, qui non curant honores, volunt tamen iis digni haberi. Posſunt inveniri, qui imperium recuſent, & ne unus quidem cum lucernâ Diogenis reperiatur, qui ſe eo indignum exiſtimet. Admodum hoc offendit Spadam, quoniam & quandam ſcripturam ei tributam cenſura relatio illa notabat, in quâ dicebat exſtare argumenta ambitionis & conatuum perſuadendi collegio, neminem Cardinalium æquè ac Spadam mereri Ponti-

Digitized by Google

ficatum. Ab eo tempore cogitabat de vindicta Cardinalibus ſolita, quæ conſiſtit in objiciendis obſtaculis, quando illis ſpes Pontificatum obtinendi datur. Ut errores in illâ relatione Rapaccioli manifeſti fierent, ſcripſit hiſtoriam conclavis, at non in populum ante obitum Innocentii X. eam proferebat: ab omnibus fuit recepta cum magno applauſu, propter judicii acrimoniam, narrationis ſinceritatem & ſtyli elegantiam longè ſuperior Rapaccioli exiſtimatur. Vegeta ætas Rapaccioli Spadam poterat ſecurum reddere in hoc cõclavi non poſſe eum obtinere Pontificatum; at defectum annorum compenſabat morbus, quoniam continuo laborat calculo: ultra idipſum probitatis, morum ſuavitatis & eruditionis opinio ſpem ante annos de ſuâ Electione promittebant. Amor Barberinorum, quem ſibi acquiſiverat conſtanti gratitudine, cujus teſtimonium dabat in illorum calamitatibus, ipſi potentisſima ſtudia conciliabat. Habuerat ab Iñocentio X. Epiſcopatum Fernenſem cum perpetuis documentis magnæ

erga

erga ſe benevolentiæ, quod ſibi illas creaturas Innocentii X. conciliabat, quæ ſtudebant gratitudinis ſigna dare. Spada tamen poſt primum conclavis initium edebat aliquod ſcriptum, quod in omnium Cardinalium manus incidit, in quo laborat bonam, quam habebant de Rapacciolo opinionem deſtruere, & contemptum ei accerſere &c; Quod attinet ejus eruditionem, dicit de Rapacciolo, quod in ſuâ Diœceſi curaverit precib9 orari Deum, ut remitteret peccata cuidam malo Dæmoni, qui invaſerat corpus cujusdam, qui ejus Eccleſiæ ſuberat. Dignum eſt, ut commemoretur. Erat Interamniæ quidam à Diabolo obſeſſus, quod ſermo ejus, qui nemini niſi Dæmoni tribui poterat, indicabat: Cardinalis curioſitate ductus voluit colloqui cum eo, & inter alia quæſivit ex eo, an multum tormentorum pateretur? reſpõdebat ille: atrociſsima ſe ferre ubiq; replicabat Cardinalis, cur non pœnitẽtiam agis propter peccata commiſſa unde tua tormenta habent originem? reſpondebat Dæmon: mea pœnitentia eſt maxima,

 at

Digitized by Google

at nihil me juvat; replicabat Cardinalis, ſi Deus tibi vellet ignoſcere, bonóne animo acciperes remisſionem? ſine dubio, reſpondebat Dæmon. Tunc jubebat, preces ad Deum fierent, ut remitterentur peccata. Rapacciolus aliter factum narrat, ut videtur in Scripturâ, quâ reſpondetur Spadæ: nihilominus impedire haut potuit, quo minus multi fidem huic relationi haberent, eumque ignarum & ingenio ut corpore craſſum opinarentur. Multis diſplicebat eum continuo in conclavi dicere; *ſe non eſſe ſenem*, quaſi nihil præter ætatem electioni ejus obſtare poſſet.

Cum jam ſtudia erga Rapacciolum languere inciperent, loquebantur quidam de evehendo Bragadino; nihil illi obſtaculo eſſe poterat. Erat Senex, neque Hiſpani, neq; Galli illi inimici. In nullo collegio erat aliquis, qui privati commodi cauſa ſe ei opponeret. In Factione volante erat Ottobonus, qui nil diligentiæ omittebat ad hunc evehendum, idem faciebat Cardinalis Pius propinquitate ei conjunctus. Oppoſitio Cardinalium Genuenſium ſatis

levis

levis erat, at quod illum dignitate arcere poterat, erat, quod careret experientia & eruditione, & ita planè adminiſtrationi Pontificatus eſſet ineptus. Obſtabat & ei problematica quæſtio, An ratio commodi Reip. Venetæ offerret Pontificatui plus damni vel cõmodi. Neceſſitas, in quâ Reſp. Veneta propter bellum Turcicum eſt, animabat nõnullos ad evehendũ eum, qui publicâ & privatâ ſalute ductus ei Reip. ſuppetias ferret: ab alterâ parte hoc ei impedimentum erat; multis enim haud è re Eccleſiæ videbatur evacuare ærariũ S. Petri, & omnino enervare potentiam Pontificis opem ferendo calamitati alterius. Memoria Eugenii IV. & Pauli II. auram Cardinali Bragadino impediebat: quoniam unus propter violentiam & uſum arbitrii nimis immoderati, alter propter odium in literatos opinione Cardinales imbuit, nobiles Venetos eſſe aptiores defenſioni libertatis patriæ, quàm regimini Jeſu Chriſti. Studia pro eo erant magna, at non durârunt ultra 24. horas. Cardinalis Barberinus nuper Catalogo Nobilium

Digitized by Google

Venetorum inſcriptus & præſtitis ab eo multis officiis Dominis Berziis, qui ſunt amici Bragadini, cenſebatur promptiſſimus ad evehendum Bragadinum: ſatis tamen ſe lentum præſtitit in promovendis ſtudiis pro ipſius electione: inſuper quia Bragadinus ſemper extra Romam commoratus erat, credebantur nullam eorum experientiam, quæ ad regendum eam neceſſaria ſunt, habere: neq; in eo præſumebatur tanta ingenii ſublimitas, ut eum defectum eâ ſupplere aut rependere poſſet. Denique ab Ottobono plus damni, quàm commodi ad eum defluxit, quoniam ita ſe in conclavi gerebat, ut nemo deſideraret Pontificem, apud quem ille ſaltem partem regiminis, multo minus totam autoritatem haberet. Omnia hæc tractabantur privatim, publicè agebatur de Sachetto, hunc Barberinus & factio volans conſtanter deſiderabant: XXXIII. vota interdum numerum XXXV. implebant: at Medicæus firmus manebat, neque à propoſito dimoveri poterat. Sachetti promotores dicebant, ſe non poſſe niſi contra

con-

Digitized by Google

conſcientiam jurare, ſe ullum eà dignitate dignum exiſtimare præſente Sachetto. Adverſarii ſe excuſabant Hiſpanorum excluſiva, & vulgo dicunt in conclavi. Una & altera pars minabatur conclavis diuturnitatem: illa, ſi nollent admittere Sachettum; hæc ſi nollent alium eligere. Adhærentes Sachetto putabant ſenes conclavis longa mora diuturnitatis tædio defatigatos tandem conſenſum iis daturos: Contra Medicæi eandem ob cauſam arbitrabantur fore, ut à parte Sachetti ſtantium ardor deferveſceret; continuò tractabatur utrimque. Medicæi quamvis ſibi addictos inter creaturas Barberini haberent, magis tamen creationem alicujus è collegio veteri aut noviſſimo optabant: in illo erat Capponius, in hoc multi, quos diligebant. Studia erga Capponium erant ultima, & ideo de iis ſuo loco loquemur. Verum eſt, non poterant ſibi imaginari, quomodo Barberinus adduci poſſet, ut præter ſuas creaturas quendam admitteret, memores adhuc erant, quid feciſſet in præterito conclavi ad impediendum ne aliquis

ex

Digitized by Google

ex creaturis Pauli V. eveheretur; & quomodo de hoc ſæpius eſſet proteſtatus. Putabant eum habere eandem opinionem, quam olim Cardinalis Alexander Montaltus Sixti V. pronepos, & Cardinalis Scipio Burgheſius Pauli V. nepos: ille non contētus promotione Clementis, qui unicus erat Cardinalis Papabilis inter creaturas Sixti, curabat in tribus aliis conclavibus evehere adhuc alium; & nullam aliam ob cauſam promotioni Cardinalis Tusquii reſiſtebat, quam propter malè ſervata promiſſa, ſe ei nolle eſſe obſtaculo, quo minus per decem dies promotionem alicujus è ſuis creaturis tentaret; hic nempe Bugheſius non erat contentus ejus ſtudio Gregorium XV. ad Pontificatum evectum, at etiam in inſequenti conclavi proteſtabatur, ſe malle mori, quàm conſentire alium præter ejus creaturas eligi. Hæc exempla debilitabant ſpem in Medicæis Barberinum permiſſurum, ut aliis præter ſuos eveheretur, neque, quomodo cogi poſſet, videbant. Cognoſcentes eum plurimum numero adhærentium poſſe: exiſtimabāt

cum

eum eſſe in eâ opinione, memoriam Urbani VIII. nimis creatione alicujus, qui extra ejus creaturarum numerum eſſet, offendi, niſi, poſtquam Innocentius X. malam de ſe famam reliquiſſet, nunc alius ex iſto numero, qui melius ſe gereret, deſumeretur; niſi hoc fieret, omnes arbitraturos, illum Pontificem fuiſſe multum infelicem in promovendis Cardinalib9, & eum illam dignitatem non propter merita diſtribuiſſe, at vel ſuo vel nepotum cæco affectu inductum indignos ea ornaſſe. Hoc timebant Medicæi: nihil enim magis in votis & optatis illi habebant, quàm inquinare memoriam Urbani.

Inter hos rumores loquebantur etiam de Cardinali Ginetto. Nemo meliorem hoc Cardinale habebat ſpem. Conſiderabat ætatis maturitatem; (ſuperaverat jam LXX. annum) & officia, quæ exercuerat: fuerat Legatus à latere Coloniæ ad tractandum de pace univerſali; fuerat Legatus Ferrariæ & poſtea Vicarius Romæ, quod officium ſecum trahit omnes congregationes, & partem in omnibus

maxi-

maximi momenti negotiis: promittebat ſibi plurimum partim propter Barberini affectū, cui in diſtributione beneficiorum ſemper ſerviverat, exiſtimans illum pluris quolibet alio fieri, quoniam Urbano VIII. fuerat gratisſimus; partim propter Coronæ Hiſpanicæ benevolentiam apud quam in bonâ erat opinione, & tandem propter nonnullorum Cardinalium favorem, qui aut illum revera deſiderabant, aud id fingebant. In factione Hiſpanicâ habebat Columnam, in Gallicâ Bichium, in Volante Lomellinum. Primum ſibi conciliaverat, promiſſâ affinitate, ſi unquam hoc faſtigium ſcandere poſſet; ſecundum variis benevolentiæ teſtimoniis; Tertius ejus fuerat Vice-Legatus Ferrariæ. Loquebatur aliquando cum Barberino & rogabat eum, ut ſuum commodum cordi haberet. Barberinus quærebat ex eo, quem ſibi adhærentem haberet? reſpondebat, quod omnem ſuam ſpem in Barberino collocaſſet. Quadam veſpera Lomellinus incipiebat de hoc negotio agere inter confœderatos, at illico ſe ei opponebat

Albi-

Digitized by Google

Albizius declaratus inimicus Ginetti, ita ut inter has oppoſitionis nonnulla verba du-ra & acerba effunderentur. Columna & Bichius non in veniebāt in factionum principibus oppoſitionem, at omnis difficultas ſita erat in ſingulis: parum enim favoris ille in conclavi habebat; exiſtimabant eum nimis propriis ſtudere commodis, & eſſe verè avarum. Hæc éſtimatio nitebatur experientia, & communi Germaniæ voce; Opinabantur eum non magnis animi dotibus eſſe præditum. Multitudo congregationum loco acquirendi illi famam, privabat eum illa: quoniam non ſatis temporis impendere poterat ſtudiis, ut bene ſe gerere poſſet in omnibus, manebat imbecillis in quolibet. Scio quendam Cardinalem è junioribus, poſtquam bis fuiſſet in congregatione Epiſcoporum & Regularium, dixiſſe ſuo amico, quod nunquam judicaſſet, fuiſſe Ginettum adeo ignorantem, quàm cognoſſet tam parvo temporis ſpatio. Franciſcus & Antonius Barberini aliquo modo malè illum habuerant in Pontificatu Urbani VIII, quoniam

eum

Digitized by Google

eum æque ac ſeipſos à patruo amari videbant: ſtudebant ideo arte impedire, ne in palatio degeret: cũ de eſſentiis occaſiones & prætextus hoc efficiendi, amplectebantur ex animo eam, quæ ſe illis offerebat, mittendi eum Nuncium in Germaniam; ea Legatione finitâ dixit Urbanus nepoti; oportet in palatio præparari pro Ginetto conclave; tunc ille laborabat, ut loco revertendi Romam, Ferrariæ maneret, & ibi officio Legati fungeretur: tandem Ginettus cognito Barberinorum affectu conducebat domum, ne in palatio degeret. Romæ præſertim inter Cardinales tam offendens quàm offenſus marmori injuras inſcribit; illæq; à nemine ibi oblivione delentur. Aliud huic addebatur, quod Barberinorum erga hunc amorem ſatis diminueret; cum Barberinus tempore Innocentii X. in anguſtiis eſſet, XXXVII.M. ſcutatorum mutua petebat, à Ginetto, ille ſe excuſabat, & dicebat ſe neque tantam neque aliam pecuniæ ſummam habere. Excuſatio non valebat, quoniam Barberinus optimè ſciebat illum multo majorem ſum-

Digitized by Google

ſummam ſine ullo incommodo ſibi potuiſſe mutuo dare. Hinc Barberinus argumentabatur, quia adhuc Cardinalis & cum vivâ ſpe ſe ejus auxilio poſſe fieri Pontificem ita ſe erga illum gereret, quid faceret, ſi Pontifex fieret, cum ſpes & timor jam ſub pedibus jacerent; neque ulla ratio præter gratitudinem & amorem benefaciendi ſubditis adeſſet, qui in illo præſumi non poſſet. Ut ſummatim dicam, in Barberino nullum apparebat deſiderium hunc evehendi, & ſtudia pro illo moriebantur in cunis, & occaſum in oriente habebant. Studia erga Sachettum adhuc continuabantur, ille ſuplicabat bene volis, ut inceptis deſiſterent, reſpondebant illi, ſe nolle conſcientiæ ſuæ præjudicare: plus quam unquam fixi in propoſito ſtabant, neq; minimum mutationis ſignum dabant: parum diligentiæ Sachettus adhibebat ad rumpendum hæc ſtudia, videbat quantum id juvaret, ut ſcopum, ad quem tendebat attingeret.

Interea Cardinalis S. Suſannæ conveniebat Cardinalem Ioannem Carolum &

Digitized by Google

loquebatur cum eo de Card. Franciotto, ut de eo tractari poſſet. Medicæus reſpondebat, ut pro ſeipſo negotiaretur, quod ſua factio eſſet promta ad adjuvandum ipſius commoda, & curandum, ut omnia bene evenirent. Ita dimittebatur S. Suſannæ. Non quievit tamen Medicæus, timens ne ſtudia erga Franciottum vires ſumerent: ſurrexit mediâ nocte, & circumibat conclave, confirmans adhærentes, ne conſentirent in Franciottum, & quibusdam dicebat alludens ad Sachettum, (quod ſi latinè exprimerem nullum haberet leporem) Coſtoro ei vogliono porre in neceſſità di fare un altera Sachettata. Cauſa credendi erat, Franciottum poſſe ſcandere hoc faſtigium. Exiſtimabatur Vir incorruptis moribus & aptus, quantum ſufficit, regimini: Barberinus magis genio ductus, quam aliis rationibus eum inter dilectos habebat: Creaturæ Innocentii X. non erant ab eo alienæ: ipſe Innocentius ſæpius de eo cum magnâ exiſtimatione locutus erat, & oſtenderat deſiderium eum habendi ſucceſſorem, ſi ante illum decede-

ret:

Digitized by Google

ret: nulla in Hiſpanis contra illum erat aversio, quamvis alii id cogitarent, quoniam in Galliâ Lugduni natus erat. Antonius Barberinus reverſus in Italiam, conciliavit ſibi Cardinalem Montaltum, & adduxit eum, ut ſcriberet pro Franciotto in Hiſpaniam, reſponſum ſatisfaciebat deſiderio ſcribentis, at non placebat Medicæis evehere Lucenſem. Cardinalis Biccius erat illi inimicus cauſa nepotis vice Legati Avenionenſis, & proinde factionem Gallicam ad minimum aliquo modo ab eo abalienabat, multos alios amicos, quos inter Cardinales habebat. Studia erga Franciottum non multum provehebantur. Cardinalis de Lugo dixit cuidam fere in cifris loquens, qui Hiſpanis excluſionem tribuebat, Medicæi. Medicæi Cardinalis Cherubinus exierat è conclavi infeſtatus fluxu ſanguinis, ex quo principio vitæ periculum metuendum habebat, at brevi ſanitate recuperata reverſus eſt in conclave. Cardinalis Aſtallius ad tenendum eum in fide, ne adhærendo Barberino aut factioni volanti conſentiret electioni Sachetti, paſce-

ſcebat eum ſpe ; idem nomine Medicæi faciebat Cicognius, cui jam nomen Charontis inditum erat in conclavi, quoniam omnes ad Pontificatum vehebat. Cherubinus videre cupiens effectum tantorum promiſſorum dixit jam eſſe tempus agendi pro ſe. Medicæus more ſolito dare ei bona verba, & dici curabat, ſibi favorem Barberinorum & factionis volantis acquireret, ſe eiſe promptum ad ſerviendum ei. Ille non poterat ſibi perſuadera, Barberinum ſibi eſſe contrarium, quoniam Domina Olympia ſe deſideraret, quæ idem cum Barberino ſentiebat. Quoniam creatura Innocentii, eiq; diu à ſervitiis fuerat, ſibi favorem promittebat factionis volantis. Hac ſpe imbutus occaſionem ridendi toti conclavi præbebat, quoniam corā crucifixa gentib9 flexis dicebat, quod foris audiebatur: Domine, ſi populo tuo neceſſarius ſum, non recuſo laborem; at paulopoſt cognoſcebatur, eum fuiſſe non tantum non neceſſarium, at ne quidem utilem populo Domini judicatum. Capacitas aliorum & pauca ejus experientia removc-

Digitized by Google

movebat neceſſitatem ejus. Parvum ejus talentum, pigritia & torpedo ipſius vultui impreſſa indicabant eum eſſe inutilem: ſi judicium cognoſcendi factiones habuiſſet, animadvertiſſet in ſe illudi. Solebat Cardinalis Cœſius ſemper dicere, alludendo ad Sachettum, ſe adeo ſaccis eſſe cæſum, ut vivere non poſſet: utebatur facetè ambiguo: quilibet cui partium in hoc conclavi ſtudia nota ſunt, intelligit ſenſum ejus. Obvius fiebat Cæſio Cardinalis S. Suſannæ, dicebat ei; nos jocamur cum ſaccis, vos cum Cherubinis: melius id Italicê ſonat, Noi givòchiamo di Sachettate, voi di Cherubinate. Agebatur etiam paululum de Archiepiſcopo Genuenſi, de quo bonus ſperabatur exitus. Judicabatur, Hiſpanos eſſe alienos ab hoc, & id ratione offenſionum, quas nuper Reſp. Genuenſis ab iis recepit per ſequeſtrationem bonorum in omnibus Italiæ provinciis Regi Hiſpaniæ ſubjectis, & etiam ratione familiæ Durazzorum. At Hiſpani aut his non attendebant, aut fingebant hæc non curare, ne pluribus excluſionibus in-

Digitized by Google

plicarentur: ideò ſperabatur eum plus favoris, quàm oppoſitionis ab Hiſpanis habiturum. Fama etiam erat, fratrem Archiepiſcopi Cæſarem Darazzum eſſe Hiſpanis acceptum, & ejus causâ eos hujus promotioni opem laturos. De benevolentiâ Barberini nunc ducitabatur. Antea firmiſſimè credebatur, quod deſideraret ante omnes Durazzium Pontificem, & quod poſtpoſuiſſet omnium aliorum commoda huic ſoli. In conclavi evulgabatur, quod, cum Durazzius eſſet Legatus Bononiæ, quandam habuiſſet contentionem cum Duce Mutinenſi, & eam ob cauſam, cum ille Dux uxorem duceret Lucretiam neptem Barberini, ſollicitaſſet, ut Barberinus in futuro conclavi huic eſſet omnino contrarius, ſi de illo evehendo ageretur. Barberinus hoc non publicavit; at ſi in cæteris ad hujus electionem propenſus fuiſſet, nemo per ullam rationem hoc ei impediviſſet, etiamſi ruinam cœli & terræ inde oriri vidiſſet. Notæ erant oppoſitiones duorum Cardinalium Genuenſium anteſignanorũ in factione volenti ei factæ.

Loqui-

Digitized by Google

Loquimur de Lomellino & Imperiali, qui pro Sachetto ardentiſſimè laborabant, & eodẽ erant ardore ad reſiſtendũ hujus electioni. Nullas rationes ſingulares Lomellinus habebat ad hoc, præter deſiderium, neminem è nobelitate novâ hac dignitate ornatum videndi, & Imperiali officia præſtandi, hic propinquitate junctus erat Durazzio: ac ultra rationem nobilitatis novæ ſibi cum Lomellino & Grimaldo communem erat alia potentior, quæ ex cauſis intrinceſis oriebatur. Cum Cardinalis Durazzius eſſet Legatus Bononiæ & Imperialis Vice-Legatus, tunc Odoardus Dux Parmæ bellum parabat cum damno Dominii Eccleſiaſtici, ad vindicandum invaſionem Ducatus Caſtri: nolebat tamen ille damno afficere Lombardiam & Romaniolam, quamvis ei id eſſet facilius propter vicinitatem loci, ſed contendebat Romam, ibique in regia hoſtem aggredi ſecum conſtituerat. Scribebat ideò ad Legatum Bononienſem, & conquerebatur de fratribus Barberinis (quibus id bellum imputabat, neque ille neque confederati, qui poſtea ei

 adhæ-

adhærebant, ullam Pontificis mentionem faciebant in ſuis ſcriptis) & petebat, transitus ei daretur per regiones ſubjectas Legati jurisdictioni. Durazzius ſatisfecit Ducis ſollicitationi & in Epiſtola reſponſoria, quæ exſtat in Mercurio Italico Sirii, monſtrabat ſibi eſſe grata, quæ ſibi ſignificaſſet. Vice-Legatus non tantum id disſvadebat, at etiam ſuadebat, ut cum militibus, quos cogere poſſet, ſe duci opponeret, illeq; ut hoſtis exciperetur. Hæc opinionem diſcordia generabat malevolentiam; hæc cumulabatur, cum Romæ, Durazzi actione improbatâ Imperialis oſtenderet, hæc eſſe geſta ſe invito, contra ſua conſilia & in ſui contemtum. Hoc ſeminarium erat odii Imperialis contra Durazzum. Et quadam veſpera cum ſtudia Raggii, Sforzæ & quorundam aliorum erga Durazzum evulgarentur, Imperialis omnem lapidem movebat, ne ad illam potentiam perveniret: & XXX vota contra illum obitinebat: at non opus erat alios labores huic rei impendere. Durazzus in morbum incidebat, & propterea è conclavi

Digitized by Google

clavi exire coactus, revertebatur ſaltem illuc in fine ejus.

Jam dimidia pars Quadrageſimæ præterierat, neque ullus adhuc inveniri poterat modus eligendi Ponteficem, & res eò redacta videbatur, ut omnis ſpes dandi caput Eccleſiæ evaneſceret. Urbi Romæ hoc incommodiſſimum accidit, quoniam per longum temporis ſpatium tribunalia ſilebant; Eccleſia Catholica conſveta ferebat in commoda, quando ea capite caret. In conclavi non poterant vitam tranſigere: anguſtia loci omnibus dabat faſtidium ſentibus tenebræ oculos defatigârant, continui ſtrepitus in cellis aures iis ferendis impares fecerant, ſomnus interdiu & noctu interrumpebatur, plus reliquis ſenſibus patiebatur odoratus, carnes, cibi & aliud peſſimi odoris cauſa erant. Multi & præſertim Conclaviſtæ maledicebant horæ, quâ ingreſſi erant illum carcerem. Tum illi, tum Cardinales quotidie in morbos incidebant. Nihilominus de eligendo Pontifice non agebatur propter duarū factionum pervicaciam. Una Sachettum

evehe-

evehere moliebatur, altera eum rejicere.
Quodam die dicebat Cardinalis Joannes Carolus Imperiali, ſi è conclavi tandem exire volumus, oportet, ut aliquo modo conveniamus: velle & nolle Sachettum omne tempus conſumunt, ita negotium nunquam finietur. Adhibete omnem diligentiam ad evehendum illum, nos idem faciemus ad rejiciendum eum, incaſſum laborabitur. Tentetis; cum in hoc victoriam obtinere non poſſitis, convertite ad alium cogitationes veſtras. Imperialis reſpondebat, quod non poſſent omittere ſtudia erga Sachettum, niſi alius proponeretur ab alio, tunc deſiſterent negatiari pro Sachetto. Illud reſponſum alium decipere potuiſſet, at non Cardininalem Joannem Carolum, qui facilius in omni aliâ re erraret, quàm in non diſcernendo hoc, quod bonum per ſe eſt, ab illo, quod tantùm colorem boni habet. Propoſitio alicujus facta à Joanne Carolo admodum placere poterat Sachetto, quoniam ille unumquemque è ſenibus ſpe lactabat, ſe opem laturum ejus electioni. Propoſitio unius

Digitized by Google

unius cæteros omnes illa ſpe privabat, & ita ſe periculo abjiciebat, ne hoc ipſo vota erga Sachettum adaugerent. Reſpondebat ille ad ſe propoſitionem non ſpectare, & eò minus, cum omnes ſibi viderentur boni, ſeq; nemini impedimentum afferre præter Sachettum, & id ſaltem ad obediendum Hiſpanis, cœterum ſe amare eundem tenerrimè & ſine hac cauſa accepiſſe eum æquè libenter atque alium, cujuscunque conditionis fuerit. Cardinalem Barberinum debere proponere, qui haberet creaturas propoſitioni aptas; ad ſe & ſuam factionem pertinere tantùm conſiderationem, ſi propoſitus eſſet aptus ſaluti Eccleſiæ Dei, cui unicè ſtuderet. Ita finiebatur colloquium, & tempus, quod ejusmodi obſtinatos animos mitigare ſolet, eos magis nunc exaſperabat & obdurabat. Nemo Cardinalium publicè proponi volebat, quilibet ſciebat, hoc eſſe præcipitium; neque aliud deſiderabant Sachetto adhærentes, quàm poſſe nunc hunc, nunc illum rejicere, ad cogendum alios, ut tandem Sachettum crearent. Videba-

Digitized by Google

debatur Barberino hæc mora nõ diſplicere; alii id tribuebant conſtantiæ, cujus opinioné ſibi acquirere volebat; alii ſpei, quæ illi adularetur, ejusmodi tædio Cardinales ad eum eligendum adduci poſſe. Quod veriſimile ejus Conclaviſta Angelus Paracecianus reddebat; qui dixit cuidam benevolenti Barberino, quare nihil cogitaretur de eligendo ſuo Patrono? Quis utilior illo Eccleſiæ Rei & ſtatui Eccleſiaſtico eſſet? alios teneri diſcere, cum hoc faſtigium ſcanderunt, illum verò poſſe docere: illum cognoſcere ſtatum & commoda privata omnium principum, & ideó aptum ita ſe cum iis gerere, ut officium Pontificis decet: ejus domum eſſe tam divitem, ut haut opus illi eſſet aliquid ex redditibus Eccleſiæ capere ad ſe locupletandum: Ipſius penſiones, ipſius Abbatiæ, ipſius officia diſtributa indigis Cardinalibus totius collegii egeſtatem levarent: eum eſſe præterea natura adeo mitem, ut cuilibet ſub ipſius regiminis quiete bene eſſet. Ut ſummatim dicam, multum negotioſus erat Paraccianus in ſervitiis ſui domini: nam

ſine

Digitized by Google

ſine dubio, ſi vidimus Polum & Giorium creari Cardinales cum noſtrâ admiratione, nunc videremus inter purpuratos Dominum Angelum Paraccianum & gauderemus puchro conſpectu, quem purpura conjuncta candori faciei tam venuſtæ faceret. Qui in Barberini gratiam ſe inſinuavit ſimilitudine genii, valde ab eo amatur, & ille amoris ductu mutat Pigmæos in Gigentes, Therſites in Achilles. Illo in tempore Paraccianus, vel Barbarinus per Paraccianum id nemini perſuadere poterat. Motus armorum Gubernatoris Mediolanenſis contra Ducem Mutinenſem illis diebus interponebat curis Cardinalium ad eligendũm Pontificem aliquid reſpirationis. Legatus Hiſpaniæ ſignificabat id illicò Dominis Cardinalibus, & rationes, quare hac bellum eſſet inceptum adducebat in quodam ſcripto: Contra Dominus de Lion ſtudebat probare illud eſſe contra juſtitiam & æquitatem Duci illatũ, ſolamq; iſtius cauſam extitiſſe violentiam & animoſitatem. Hoc, ut dixi, aliquantulum reſpirationis conclavi dedit; curas

enim

enim ejus de eligendo Pontifice fluctuantes, & magna cogitationum agitatione turbatæ propter diverſa partium ſtudia transferebantur ad conſervationem publicæ quietis. Altierus Epiſcopus Camerarius nuntius conclavis eligebatur, & ad Mutinenſem & gubernatorem Mediolanenſem mittebatur, ut orta diſſidia inter eos ſedarentor, eaq; mala, quæ non ſolùm ruinam Italiæ, at etiam electione Pontificis longas moras minabantur, ſopirent. Bellum enim vicinum jam dominio Eccleſiaſtico exarcerat, & timor erat, ne partes hoc ipſo magis obſtinatæ redderentur ad eligendum Pontificem cuilibet earum addictiorem: quod erat ſuſpendere per longum temporis ſpatium electionem. Legatus Hiſpanie in libello conclavi tradito proferebat ſuum regem eſſe Eccleſiæ Catholicæ primogenitum: Reſpondit Cardinalis de Retz, quod illud ſcriptum haut deberet accipi, quoniam præjudicaret Galliæ Regi, cui ſine ullâ controverſiâ præſcriptione & deciſione deberetur titulus primogeniti Eccleſiæ Catholicæ: oppoſitio illa

Digitized by Google

illa erat admodum notaru digna, quoniam paucis menſibus ante aufugerat ille Cardinalis é Gallia ex loco, ubi erat relegatus in Hiſpaniam, unde poſtea Romam Regis Galliæ ejusdemq; miniſtrorum gratia privatus venit.

Intermittebantur ſtudia pro eligendo Pontifice in conclavi, quoniam pars, quæ Sachetto adhærebat, eidem favere pergebat, hinc nemo volebat proponi, quia certus erat, hoc in caſſum fieri. Cardinalis Palotta Zelo publici commodi ductus incipiebat perſuadere iis, ut tandem de alio, quàm Sachetto cogitarent, & ſpem facerent finiendi aliquando conclave. Ego, dicebat, cum alius nolit proponi, ero contentus, me ipſum objicere periculo, neque excluſionis turpitudinem curo, modo per hoc transeatur ad ſtudio erga alios, quorum tandem aliquis finem noſtris curis & ſollicitudinibus imponat. Conſilium Palottæ erat gratum Cardinalibus: nam certi erant, eum amore publicæ ſalutis ad hoc duci, omnibus ejus bonitas innotuerat, & propterea ambitionis & proprii commo-

 di ſu-

di ſuſpicio non cadebat in ejus propoſitionem; nemo principum factionum illi ſtudebat: ideo erat tantum vulgi opinio, eum ad pontificatum poſſe evehi. Hiſpani poterant ei contrariari, quoniam ut novus Elias adeo Zelo ardebat, ut judicaretur propenſior ad ſeveritatem, quàm ad clementiam, cujus jam documentum dederat, cum gubernator Romæ eſſet. Barberinus illi erat cõtrarius, primò, quoniam tempore Urbani parum illi faverat; ſecundo, quoniam ſtudebat commodis Dominæ Olympiæ, quæ Palotta electo certiſſimè caſtigata fuiſſet, quia admodum offenderat eum. Præterea Pontifex Zolo ardens ſemper eſſet promptus ſatisfacere publico Chriſtianiſmi deſiderio, caſtigando fœminam, cui òmnia imputabantur mala Pontificatus Pamphilii. Eſt Palotta in vegetâ ætate, non ratione annorum, ſed quia eſt firma valetudine: & jam Cardinales ſenes & juvenes faſtidium ceperat longæ Pontificum vitæ: illos, quoniam hoc ipſo illorum ſpes ſepeliuntur, & cum ſpe publica exiſtimatio: hos, ut, quoniam nunc

nunc nulla alia Prærogativa, præter jus eligendi Pontifices, clari ſunt Cardinales, ſæpius eo uti & gaudere poſſent, ne Chriſtianiſmo inutiles videantur. Palotta conveniebat Grimaldum & adhortabatur eum, ut inciperet tractare pro S. Clemente. Cardinalis Barberinus in principio conclavis volebat hoc agi: at Grimaldus, cujus intererat, hunc Cardinalem ad Pontificatum evenire, animadvertẽs hoc in eum finem à Barberino tentari, ut S. Clemens in principio omni privaretur ſpe, reſpondit, ſibi illud negotium videri immaturũ: poſtea Barberinus ſemper aliquid ſpei in animum Grimaldi inſtillabat, magis in eum finem, ut ſibi conſervaret ejus amicitiam, quàm voluntate adjuvandi, ut Pontifex eligeretur S. Clemens; quod cognoſcebat Grimaldus, qui in omnibus aliis facilius decipi poterat, quàm in ejusmodi negotiis: optimè noverat non ex animo eum loqui: id tamen ſe haud animadvertere ſimulabat, ſperans ſe poſſe ejusmodi diſſimulationis quendam capere fructum, quod interdum fit, etiam ſi agatur cum aſtutiſſimis,

Digitized by Google

mis. Cum poſtea Barberinus perſeveraret in ſermone de ſtudiis conciliandis S. Clementi,reſpondebatGrimaldus apertè, ſi ex animo loqueretur, poſſet id negotium bonum ſortiri eventum ; cæterum ſi ſecum conſtituiſſet ſaltem obiter ei favere, eſſe melius haud turbare quietem iſtius boni ſenis. Barberinus haut longius progrediebatur in hoc negotio, neq; ampliora faciebat promiſſa,& perplexitas ejus ſermonis majora dubia dabat : ſciebat Medicæos non eſſe alienos à S. Clemente ; qui, quamvis in omnibus factionibus haberet inimicos. numerus tamen amicorum eret ſuperior iis ; cogitabat Barberinus quod ipſius ſenectus poſſet ſene Cardinales ad conſenſum adducere ; ut ſummatim dicam, notum illi erat ; quod in toto conclavi ſpargèretur , ſolum Barberinum eſſe cauſam, ne S. Clemens Pontifex deſignaretur. Fingebat ſe timere, ſi de illo agere inciperet, ne id malè ſuccederet. Erant manifeſtè S. Clementi contrarii Montalt9, Lugo, Albizius, Rapacciolus, Fachinettus, Ottobonus, Gualterius & Azzolinus. Malevo-

levolentiæ Albizii & Montalti erant antiquæ propter privatas cauſas. Odium inter Albicium & illum oriebatur in officio Inquiſitionis, cum unus eſſet commiſſarius, alter aſſeſſor ; inter Montaltum & illum proveniebant odia à ſuſpicionibus , quæ ab obitu Urbani VIII. dabantur ab eodem Albicio tunc aſſeſſore. Lugo erat magis ei contrarius, quàm omnes reliqui, excepto Montalto, & id ratione religionis: Malè n. convenit religioſæ ſectæ S. Dominici cum Societate Jeſu, propter eruditionis & aliarum prærogativarum certamen, unaquæque ſtudet ſummo labore & contentione, ut ſupereminеat. Hæ duæ ſectæ putantur in Eccleſiâ Dei idem eſſe, quod olim in orbe duæ Reſ. Romana & Charthaginenſis, quælibet adſpirat ad dominatum ſacri imperii. Pontifex ex ordine prædicatorum plus æmulationis daret Jeſuitis, quàm animaret Dominicanos : illi aut timebant, aut fingebant ſe timere, ne S. Clemens Pontifex creatus mutaret illorum privilegia , faceret quandam declarationem contra illorum dogmata; hi cognoſcen-

ſcentes, quod ſemper in S. Clemente plus potuerit conſcientia, quàm ſuæ Sectæ cõmodum, non credebant fore, ut ille factus caput univerſæ Eccleſiæ Dei eſſet propenſus ad favendum iis in rebus, quæ aliis poſſent membris præjudicium afferre. In Lugo erant tanquam in capite vota Jeſuitarum, ille repræſentabatur per eum corpus, quæ tota loquebatur per eum. Rapacciolus & Fachinettus erant S. Clementi contrarii, quoniam præſumebant, quod ille conqueſtus eſſet de iis aqud Ducem Parmenſem Odoardum Farneſium. quod haut majores inimicos apud Barberinum habuiſſet. Ottobonus in quadam congregatione Epiſcoporum & Regularium irritabatur contra illum, quod ſe ei oppoſuiſſet, cum votum daret contra Generalem Dominicanorum. Azzolinus & Gualtierus ſuſtinebant factionem Principis de S. Martino, quæ Princeps plus reliquis adverſabatur S. Clementi, propter cauſas quæ poſtea dicentur. Barberinus prætextu odii tot Cardinalium obtegebat animum, quem habebat à S. Clemente alie-

alienum, & ad ſatisfaciendum apparenter iis, qui illum deſiderabant, curabat, ut crederetur, impedimentum haut defluere à ſe. Inter eos, qui magis apertè commodo S. Clementis ſtudebat, erant in factione Gallica Grimaldus, qui plus reliquis operabatur: in factione Hiſpanicâ ſavebat ei Trivultius; ille tunc erat extra conclave, qoniam in conclavi in morbum inciderat, Aſtallus qui ſtudiis erga illum nemini cedebat: Sforza, Savelli eidem ſtudebant: Sed unio factionis volantis tota verſa erat in ipſius damnum, quoniam fere omnes in illâ erant ſui inimice: veriſimile fiebat eorum opera etiam alios ab illo abalienari: nihilominus non erant contra illum, neq; pro illo Cardinales Genuenſes; erat iis commendatus à Rep. Genuenſi, & præterea cauſam non habebant, ei obſtacula objiciendi. Sanctus ſavebat ei, neque inter ſeniores fortaſſe ullus erat, qui minores haberet oppoſitiones: ipſius vitæ bonitas à nemine & ne quidem ab inimicis negabatur; nam notum erat, eum nunquam dediciſſe vitæ clauſtralis rigorem, &

Digitized by Google

ſemper incontaminatè ut Monachum decet, in palatiis vixiſſe. Præfuerat diverſis officiis ſui ordinis, hoc adimebat opinionem paucæ experientiæ in negotiis: cognitum enim eſt, quod tam in magiſtratibus monaſticis, quam in ſecularibus uſus & prudentia requirantur, & ita unus cujusque aptitudo & valor manifeſtentur. Tres præcipuè cauſæ adducuntur Barberini abalienationis ab hoc: Prima eſt, quia in conclavi Urbani nolebat hunc Pontificem creari, aut demonſtrabat ſe nolle. Vivebat tunc Dux Odoardus Farneſius, cujus erat ſubditus S. Clemens, & quamvis honores, quos ab Urbano habuerat, parum illum gratum Farneſio redderent, tamen impetrabatur, ut ipſe eum deſideraret Pontificem. Barberinus compertum habens odium Farneſii contra ejus domum & ſeipſum eſſe adhuc recens, haut ſtudebat S. Clementi. Hæc ratio eſt ſufficiens ad impellendum factionis principem, ne, cui ſemel obſtitit, unquam poſtea in conclavi faveat. Qui hoc faſtigium ſcandit, putat ſe propriis meritis ad id eſſe evectum, hinc judi-

judicat, fuiſſe fructum alterius malignitatis, quod illa dignitas antea non fuerit ad ſe delata. Timebat ideò Barberinus, ne S. Clemens conſiderans Innocentii decennium crederet, hoc illi eſſe à ſe ereptum, & ne hæc conſideratio deleret omnia nũc à ſe accepta beneficia. Altera cauſa tribuitur voluntati Barberini ſatisfaciendi ardentiſſimi ſollicitationibus Jeſuitarum, ex illis cognoſcebat, quantum opus haberet eorum opera. Nulli affectus adeo ipſius animum turbant, quàm deſiderium recuperandi reditus Eccleſiaſticos in regno Neapolitano, & id haut avaritia, cujus vitii nemo eum arguit, ſed deſiderio eveniendi ad Pontificatus honorem & regnandi ibi ut Pontifex, ubi tot annos regnavit ut vice-Papa: impellebat eum ad ſupra dictum deſiderium inimicitia Hiſpanorum juncta redituum retentioni, & hoc impedire valet, unquam de Pontificatu obtinendo cogitare poſſit, quam vis omnes alias haberet prærogativas, quæ viam ad illum facilem reddere poſſent; reſtitutis reditibus liberalis eſſe poſſet erga Cardina-

 les

Digitized by Google

les tam ſuas creaturas, quàm alios indigos, & ita aamicos ſibi conciliare ex iniquitatis mammona: qui poſtea gratitudine impulſi eum illuc eveherent, quò ſua adſpirant deſideria. Jeſuitarum potentia tam in Hiſpania apud Regem ejusq; miniſtros, quam apud Proregem Neapolitanum illi perſvadebat, ſi tantum officium præſtaret iis, quantum hoc eſt, illorum commendatione impedire Pontificatum cuidam è ſuis creaturis addictisſimis; quoniam S. Clemens maxima acceperat beneficia à familia Barberinorum & proinde hic proprii commodi cauſa omnem deberet diligentiam adhibere, ut idem Pontificatum adipiſceretur, fore ut illa ſocietas omnen diligentiam adhiberet, ut ille voti compos fieret. Tertia cauſa clarior erat, volabat Barberinus ſervire commodo & voluntati Olympiæ. In nulla re potuiſſet magis ei contrariari, quàm conſenſu in electionem S. Clementis, Hunc Cardinalem ſemper Innocentius X. maximo proſequebatnr odio: an à Pancirolla, an ſuſpicione S. Clementem reſtitiſſe ejus electioni ad hoc im-

impulſus ſit, incertum eſt. Nunquam ei animi reconciliati ſignum dedit. Olympia ut precipuis iſtius Pontificatus gaudebat partibus, ita & judicabat, ſe non minus debere eſſe hæderem odiorum illi debitorum, quam divitiarum ab illo relictarũ. Timebat ideo ne S. Clemens factus Pontifex ita malè ab Innocentio X. exceptus injurias illatas vindicaret, ipſaq; iſtius iræ objiceretur. Innocentii conſuetudo erat malè loqendi de omnibus, quos non diligebat, neque abſtinebat vilibus & ſordidis verbis: illis ſemper contumelioſa epitheta dabat; Olympia, quæ nunquam familiariter uſa erat S. Clemente, putabat eum nihil præter faciem reliquum hominis habere, at quendam è furiis hominis tantum figura exteriori ornatum eſſe; quandam tigridem indutam veſtitu purpuræ: ita enim eum deſcripſerat Innocentius. Cauſæ, quæ Olympiæ illam opinionem adimere poterant, adaugebant eam: præcipua erat propinquitas principis Roſſanæ cum Duce Parmenſi; ideo credi non poterat Cardinalem ſubditum iſtius Ducis

& ama-

& amatum ab eo contra illam principem aliquid moliri, ſed qui illam non offendebat, offendere videbatur Olympiám. Inter alia erat contentio inter Olympiam & Rosſanam de quibusdam redititib9, quos ſibi reſervaret pactis dotalibus Rosſana, Olympia intolerāt damni, & ſciens omnia ſua bona tandem ad Rosſanam ſuam nurum ventura, hoc ita malè accipiebat, ut non ſolum Rosſanam, ſed etiam omnes ei àdhærentes, & per conſequens S. Clementem odio proſequeretur. Olympia favebat paucis è Creaturis Innocentii quoniam melior & major pars ad purpuræ honorem evecta erat illâ invitâ, illaq; iis ſemper apud Pontificem mala præſtiterat officia. Sforza, Savellius, Aſtallus erant inimici totius familiæ Pamphiliæ. Lomellinus, Imperialis, Borromæus & Pius tantum ſtudebant commodis Principis Camilli in conclavi, negligebant commoda Olympiæ propter mala ab ea accepta officia. Ludoviſius & Aldobrandinus unus ratione Principis Plumbini, alter principis Roſſanæ, facilius omnes alios ſuſcepiſſent labo-

res,

Digitized by Google

res, quàm ſatisfacere deſiderio Olympiæ: Maldachinus erat jam ejus declaratus inimicus, quamvis ea ſit ejus amita: Widemanno & Raggio fidebat parum. Inter creaturas Innocentii, ut ſummatim dicam, ſoli Azzolinus & Guaitierus erant ei fidi, alii aut vitæ ſanctimonia, aut proprio cõmodo ducti ſacrificare ſua ſtudia ejus genio detractabant. Omnem fere ſpem ponebat in Barberino, hic debebat eſſe ſcopus ſuæ felicitatis: commendabat ſe ei, ne conſentiret in Electionem S. Clementis, in memoriam ei revocabat ſua opera eum fuiſſe Innocentio reconciliatum, promittebat ille ſe ejus deſiderio ſatisfacturum. Ego credo tres ſupra dictas cauſas connexas abalienaſſe Barberinum, & quamlibet earum ſolam efficere id haud potuiſſe. Dixit ideo Grimaldo, ut explotaret, quomodo ſenes Cardinales eſſent erga S. Clementem animati, quod ille jam curaſſet, ut Fachinettus & Rapacciolus ad hoc propenſi fierent: interjecto uno die dixit eidem Grimaldo, non ſolùm ipſius ſtudio Fachinettum & Rapacciolum, verùm etiam

iam Albizzium à parte S. Clementis ſtare; Reſpondit Grimaldus, ſi hoc eſſet verum, eſſe jam pontificem creatum; quoniam in ſenibus magnam animorum propenſionem erga S. Clementem inveniſſet; unumquemq; S. Clemente magis, quâm alio eſſe contentum: ex hoc lætitiam fingebat Barberinus capere, & diſceſſit. De hoc certior factus Trivultius, qui in propriis ædibus magis ad evitandum incommoda iſtius Carceris, quâm propter morbum commorabatur, redibat ideo in conclave, & habitis quibusdam ſecretis colloquiis in loco, qui non poterat ſuſpitionem dare, cum Grimaldo, conveniebant inter ſe de ratione agendi de tanti momenti negotio. Interim Palotta adducebat quadam veſpera Barberinum in cameram Grimaldi, & ibi proponebat, ut de S. Clementis Electione ageretur apertè, reſpondit Grimaldus, niſi de bono eventu certus eſſe poſſet, nolle ſe objicere bonum ſenem periculo; rogabas permiſſionem Barberini, ut ejus nomine loqueretur cum Cardinalibus & ita rem ſucceſſuram melius:

Digitized by Google

us: reſpondit Barberinus, ſe deſiderare tantum S. Clementum, quantum cujuscunque conditionis alium è ſuis creaturis, at nihilominus, ne perderet vota illorum, ſe haut poſſe ita negotiari per illum, quia ſuæ creaturæ videntes ſe fixum in S. Clemente facilè poſſent abalienari; niſi vellent concurrere ad hanc electionem: reſpondebat Palotta, hoc non eſſe timendum, res conclavis non eſſe in ejusmodi terminis: eſſe opus id tentari de omnibus Cardinalibus Pontificatus Candidatis: rationem exigere de Seniori initium fieret, & ita de S. Clemente, qui ſuperaret omnes ætate; ſe eſſe perſvaſum præ ſe ferebat Barberinus, & de modo conſulebat, Pallotta conſilium dabat, ut à votis initium fieret; quod diſplicebat Grimaldo cognoſcens id non placere Trivultio, quoniam datio votorum eſt claſſicum canere, ut inimici ad defenſionem accurant. Barberinus ſibi ſpatium reſpondendi dari volebat, diſceſſit & cum illo Palotta, Cum tempus reſpondendi veniſſet, Barberinus demonſtrabat, ſe difficultates jam multipli-
catas

Digitized by Google

catas inveniſſe, ſe tamen laboraturum, ut illæ ſopirentur: inter ea opus eſſe tempus protrahere, ne negotium præcipitaretur: hoc reſponſo Grimaldus turbabatur, intelligens cauſam ejus; finxit tamen, ſe id haud intelligere, & in bonam accipere partem, approbabat conſilium rem de die in diem differendi. Erant de triginta & ſeptem votis pro S. Clemente certi Grimaldus & Trivultius, ideo deliberabant quodam manè, an hæc in quodam ſcrutinio detegi deberent ad perturbandum malevolos, Trivultius diſſuadebat hoc, quoniam numerus votorum non eſſet ſufficiens & alii loco perturbari, ſe conjungerent ad reſiſtendum huic electioni: ſperabant ideo, ſe ex tempore commodum capturos, quod quibusdam adhærentibus diſplicabat. Ne plus diſſeram de S. Clemente, dicam tantum, nonnullis ſatis diſplicuiſſe illud, quod Lugo dixit, cum in quodam Cardinalium conventu de ſtudiis erga Clementem mentio fieret reſpondebat hic, ſi ille Pontifex crearetur, fore ut Eccleſia Dei in ruinam conjiceretur, ſignificare volebat,

rem

Digitized by Google

rem controverſam fore deciſam in eorum favorem, qui credunt Virginem Matrem eſſe in ſuâ conceptione maculatam culpa Adami; & etiam in favorem Janſeniſtarum, quorum doctrina cōtinet quasdam propoſitiones damnatas ab Innocentio. Hoc diſplicebat Cardinalibus ſcientibus ſummum Pontificem cum in cathedra aliquid definit, non poſſe errare, & ideo ſi revera Virgo concepta eſt ſine culpa originali, etiamſi alius ſolium Petri occuparet, non poſſe decidere contrarium: ſua verba erant eo pleniora ſcandali, quo major ſua eſt eruditio, quod manifeſtum faciebat eum miſcere cauſam Zeli, ut ſerviret ſuæ ſocietatis commodo: impreſſerat etiam eadem Legato Hiſpaniæ, indicabat etiam ſe habere literas credentiales à Rege Hiſpaniæ ad excludendum S. Clementem: at neque Legatus demonſtrabat conatus Lugi magnam impreſſionem in ſe feciſſe, neq; literæ unquam viſæ ſunt. Fide non eſt dignum; quod Hiſpani, ſi S. Clementi reſiſtere voluiſſent, non libentius commiſiſſent invigilationem ejus Cardi-

dinali Medicæo Protectori Hiſpaniæ, quàm Cardinali de Lugo, quem pro emiſſario Barbarini habebant. Præterea ex literis proregis ſcriptis Caraffæ cognoſcitur, Clementem non ſolùm non excluſum, ſed deſideratum ab Hiſpania: Barberinus tamen ſigna confidentiæ S. Clementi dare volebat, adibat quadam veſpera ad illum, conſulebat eum, quid agendum eſſet, ut conclave finiretur: cum laude ſe excuſabat per longum tẽporis ſpatium Clemens; tandem cum alter idem poſcere pergeret, reſpondit, ſibi è re videri, ut ille duas ſuas creaturas, quos maximis meritis præ cœteris inſignes, quoſque facilius aliis evehi poſſe judicaret, proponeret: ſi hoc viderent principes aliarum factionum jam in conclavi defatigati, ſe paterentur adduci ad conſenſum; ſi ſecus caderet, illum coram excuſari & ſolvi illis accuſationibus, quibus illi onerantur, quorum opera Eccleſia per longum temporis ſpatium Pontifice careret. Grimaldus & Trivultius animadvertentes Barberinum eſſe S. Clementi contrarium, ſuſpendebant ſtudia

expe-

Digitized by Google

exſpectantes tempus renovandis iis magis oportunum. His diebus reverſus in conclave Cardinalis Spada jam recuperatâ integrâ valetudine, ſe non laborare morbo illo, de quō fama erat, probavit; vehebatur publicè per plateas in curru aperto cōtra morem illorum Cardinalium, qui vacante ſede Romæ curru vehuntur: hic ratione eruditionis & aptitudinis in negotiis non ſolum primus erat inter Cardinales, ſed etiam paucos habet in Eccleſiâ Dei pares, & neminem qui illum ſuperet: non ſolum tempore Urbani VIII. ſed etiam Innocentii X. ſemper primum occupavit gradum in negotiis Politicis, nihilq; alicujus momenti à Pontifice ſtatutum fuit, cui ille aut conſilio âut voto non intervenerit; opinio nimiæ aptitudinis & valoris, quam omnes de eò habent, multum illi præjudicavit ad obtinendum Pontificatum: Principes nolunt Papam nimis potentem & ſapientem; habere neque Cardinales optant Pontificem, qui omnia ſolus & ſine illorum opera moderari poſſit: opinio tam raræ virtutis multos illi æmu-
 los
Digitized by Google

los creavit in conclavi, qui deſiderantes ſibi acquirere opinionem valoris, judicabant illis uſui eſſe, haud dependere à Spada, & ſe opponere ejus conatibus. Erant illi Lomellinus, Imperialis & Albizius contrarii, qui, quod negari non poteſt ſunt prudentia clari & apti, ut ſibi acquirant magnum & ſublime nomen. Occaſionem ſe opponendi Spadæ præbebat illis abalienatio hujus à Rapacciolo, & propenſio ad Carpegnam. Rapacciolus erat amatus â factione Volante, & poſt paucos hunc optâſſent Pontificé. Spada, qui cum maximo ardore ei reſtiterat, acquiſivit ſibi odium omnium illorum, qui illum deſiderabant; hic nihilominus opus habebat magna diligentia, ut voti compos fieret, quoniam Medicæi præ ſe ferebant, ſe haud recuſare illum. Laborabat inprimis, ut Barberinum adduce. et ad excluſionem ejus, ut etiam imposterum omni ſpe privaretur. De Carpegna eodem modo fuerant diſcordes ante dicti Cardinales & Spada, quoniam hic propinquitate ſanguinis & aliis rationibus ductus, præ omnibus il-

lam

Digitized by Google

lum ad Pontificatum evehi volebat; illi propter rationes, quæ dicentur, apertè hoc impediebant. In Carpegna omnia, quæ exiguntur, ad Pontificatus dignitatem concurrebant. Aetas magis matura propter corporis imbecillitatem, quam propter ſenectutem, ſi non prodeſſe, certè obeſſe non poterat: magna morum ſuavitas in eo præſumebatur. Nulli ei erant malevoli propter rationes privatas, quoniam ille natura ſatis ſolitarius nunquam habuerat eas contentiones, quæ in negotiorum ſtrepitu naſci ſolent. Maximi momenti res erat, quod omnes factionum Principes eum deſiderarent, Medicæus cogitabat de eo ante omnes alios, quoniam quidam è fratribus Carpegnæ magno Hetruriæ Duci à domeſtico miniſterio erat: ultra idipſum cõmẽdatus ei erat ab uxore magni Ducis, filia defuncti Ducis Urbinatis, quæ nunquam depoſuit benevolentiam erga Vaſallos ſuorum majorum. Eſtenſis eundem omnibus aliis præferebat propter arctam amicitiam, quæ ei per multos jam annos intercedebat cum quodã patre Thea-
 tino
Digitized by Google

tino Carpegnæ germano fratre. Deſiderabat idem Cardinalis Antonius, partim proprio genio, partim ab Ottone ſuo pocillatore Carpegnæ propinquo ad hoc adductus. Barberino deerat cauſa ei reſiſtendi, niſi quod adverſarii eum deſiderarent: credebatur hoc Carpegnæ allaturum præjudicium. Ingreſſus eſt in conclave cum certâ ſpe obtinendi Pontificatum, at brevi poſt cognoſcebat impedimenta; inter alios Palotta clamare incipiebat, eſſe iniquum, Cardinalem tot aliis non ſolùm ætate, ſed etiam experientia & uſu rerum mundanarum inferiorem debere ad Pontificatum cum tantâ præcipitatione evehi; quod nunquam publicis officiis præfuiſſet, niſi in duobus Epiſcopatibus, & in utroque cum parva laude. Medicæi per excluſionem Sachetti attrahebant etiam excluſionem Carpegnæ; quoniam addicti Sachetto videntes conſtructionem clauſtrorum contra impetum ſuarum prætenſionum poſteaquam ſuſceperunt laborem, ut hanc rumperent & obfirmarunt animos ut hanc oppugnarent,

ſe

Digitized by Google

ſe converterunt ad vindictam contra opponentes; itaque nunquam in electionem Carpegnæ conſentire volebant. Præterea id non permittebat ratio politica, quoniam offenderant obſtinatis ſtudiis erga Sachettum Medicæos, ſi ideo huic electioni conſenſum præberét, porrigerent Medicæis arma ad vindictam contra ſe, quoniam apud Carpegnam Medicæi obtinerent primum autoritatis locum. Agebatur per aliquot dies in conclavi de Carpegna, & hoc cauſa erat, cur amici Sachetti mutarent ſententiam: nam illi, ut ſupra dixi, conſtituerant ſecum fatigare conclave, antequam animi ſenſa exprimerent: at cognoſcentes poſtea, quod Medicæi ſe præpararent, ſtudia ergaCarpegnam multiplicare, ſtatuebant & illi idem proSachetto agere, & cognito quodam mane, quod illi multa vota collegiſſent pro Carpegna, illi colligebant plura pro Sachetto: poſtea hic tractatus differebatur in tempus magis oportunum; major tamen conclavis pars certa erat, hoc nunquam bonum habiturum eventum, quamvis idem repeteretur.

Digitized by Google

tur. Quidam credebant, Spadam extra conclave tractare cum Legato Hiſpaniæ, cum Domino de Leone & Olympia, ut quilibet eorum adduceret ſuos addictos ad favorem Carpegnæ, ſed nulli iſtius negotii fructus unquam videbantur. Barberinus aut causâ Carpegnæ, à quo forſan alienus erat propter easdem cauſas, quæ factioné volantem ab eo alienaverat, nullam confidentiam erga Spadam demonſtrabat. Franciſcus Cerrius, Barberini concláviſta nunc huic nunc illi Cardinali dicebat, non eſſe fidendum Spadæ, & cum contemtu de eo loqui non dubitabat. Interea ſtudia erga Sachettum apparenter languida fiebãt, & numerus votorum valde deminutus erat, at omne id fiebat cum arte. Albizius loquebatur aliquando cum Fiſcali ſancti officii ad rotam, & dicebat, quod Sachettus habuiſſet XXXIII. vota, & quod præterea eſſent adhuc quinquaginta alia, quæ forſan adhuc pauca quædam attraherét, & ita ſimul juncta numerum ſufficientem redderent: hoc referebatur reſiſtentibus Sachetto, qui animadvertebãt,

Albi-

Digitized by Google

Albizium hæc arte dixiſſe, ut illos perturbaret. Cardinalis Harrach laborabat in hoc negotio, & afferebat propoſitionem Barberini Medicæis, & Medicæorum Barberino: hic ſibi perſuadebat propter ſupra dictas rationes decipere illos dato conſilio, ut quendam è ſuis creaturis proponerent, at illi reſponderunt, quod illud ſpectaret ad illum; quod illi potiùs approbare, quam nominare quendam deberent. Quadam veſpera Barberinus iraſcebatur Harrachio, è quo cenſebatur toti negotio eſſe finem impoſitum: at poſtea rogabatur Harrach, ut pergeret tractare. Deſiderabat Barberinus committi hoc negotium Montalto & Harrachio, ſed hoc recuſabant Medicæi, quibus amiciſſimus erat Cæſius, qui alieno erat animo à Montalto, quamvis propinquitate junctus illi eſſet. Parum negotium procedebat, parumque ſpei ad finiendum conclave erat: inſtabat jam finis quadrageſimæ, neque ulla ſigna finis horum negotiorum videbantur. Quibusdam volupe fuiſſet, agi de Cecchino, niſi obſtacula fuiſſent nimis magna. Ille

Digitized by Google

purpura ornatus fuit ab Innocentio in ſecundâ promotione, quæ prima illarum erat, quæ appellātur plenæ: retinebat & ille poſtea officium Datarii, at cum naſceretur illa confuſio, quæ attrahebat ultimū ſupplicium Maſcambruni, ſubdatarii, qui decollabatur; & duo alii laqueo vitam finiebant, alii in triremes condemnabātur, alii exilio multabantur, exiſtimatio Cecchini vacillare incipiebat in animo Innocentii, quod huic malo nulla applicuiſſet remedia, ut exigebat ſuum officium; ſi non arguebat eum eſſe horum delictorum participem, ad minimum convincebat eum negligentiæ in rebus ſpectantibus ad ſuum officiū. Ille ſe excuſabat, quod Pontifex omnia cōmiſiſſet Maſcambruno, & ſibi nihil præter umbram & nomen Datarii reliquiſſet. Innocentius privabat eum officio Datarii; lis contra eum movebatur, & ei imponebatur, ne ad ullam functionem veniret, cui Pontifex intereſſet, ut ſummatim dicam, tractabatur ut reus. Cardinales factionis volantis ſuſurabant contra Cecchinum, ſtatuebant ſecum, haud permittere, ut

tam

Digitized by Google

tam apertus inimicus domus Pamphiliæ Pontifex deſignaretur. Barberinus propter Olympiam & proprium ſuum commodum recuſabat eum, ita ut officia Sforzæ in conclavi, & Dominæ Annæ Eſtenſis extra conclave parum pro Cecchino efficerent. Apparebat ſignum, fore, ut conclave brevi finiretur per exitum Gabrielis, qui etiam in priori conclavi brevi antéquàm Innocentius eligeretur, exierat, jam idem morbus cogebat, ut ſe in ſuam domum reciperet, & id pro omine finis conclavis habebatur. Scripſerat Barberinus ad Regem Hiſpaniæ die XX. Januar. rogabat Regem, ut ſe reciperet in gratiam; offerebat ſua officia in conclavi & promittebat, ſi Rex ſignificaret ſibi, ut opem alicui, ad quem Rex Pontificatum deferri cuperet, ferret, ſe nihil diligentiæ omiſſurum, ut ſatisfieret Regi, ſe deſiderare tamen ejusmodi mandatum ab ipſo Rege accipere, & ita etiam favores, quibus Rex ſe afficere vellet, quia ſemper tam malè à Regis Miniſtris in Italia exceptus eſſet, ut nunquam meliorem conditioně ſperare poſſet.

ſet. Literæ hæ transmittebantur à Generali Dominicanorum, Conſcientiario Regis, qui etiam eſt è Dominici ſecta. Generalis ut ſerviret Barberino, & rem gratam faceret Principi Juſtiniano & Paleſtrino ſummam adhibebat diligentiam, ut per Regis confeſſorem res bene ſuccederet: unus laborabat Romæ, alter Madriti, ſperabant ſe impetraturos his officiis, ut Barberinus S. Clementi faveret: At in Barberino plus his officiis poterant proprium commodum & deſiderium ſibi devinciendi Jeſuitas. Reſponſum afferebatur, quod plenum verborum officioſorum erat, & aptum ad generandam meliorem ſpem; ſed non ſatisfaciebat Barberino, quoniam de electione Pontificis Rex ſcribebat, gratam rem facturum ſibi, ſi ſe conjungeret Medicæis: hoc multum afflixit Barberinum, animadvertens, quod arbitrio ſuorum majorum inimicorum committeretur beneficium Regis, qui aut pergerent malè eum excipere, aut ſi bene eum haberent, diminuerent tamen voluptatem benefacti, quia id ab inimicis ſuis veni-
Digitized by Google

veniret. Nihil omiſerat Barberinus in conclavi ad inſinuãdum ſe in Hiſpanorum gratiam,& cogitaverat in ingreſſu conclavis, mereri eam apud Legatum Hiſpaniæ, quem quadam veſpera conveniebat, eiq; dicebat, ſibi nihil antiquius eſſe, quàm ſervire Hiſpaniæ in conclavi; ſe ſecum ſtatuiſſe id ipſum quodam officio ita declarare, ut id propter ſingularitatẽ apud omnes admirationem mereretur; ſe adhibiturum diligentiam, ut Lugo natione Hiſpanus ad Pontificatum eveheretur; rem eſſe facilem, quoniam conſenſus Hiſpanorum eſſet infallibilis, & ille cum ſuis adhærentibus & creaturis votorum numerum ſufficientem facere poſſet, & ita Hiſpanos honore eum habendi Pontificem non ſolùm ante alios meritis inſignem, ſed etiam natione Hiſpanum; quod nunquam Hiſpaniæ poſt Alexandrum VI. obtigiſſet. Acquieſcebat his oblationibus Legatus,& cogitabat, ſe magna obtinuiſſe pro ſalute Hiſpaniæ, currebat, ut de hoc certiores faceret Cardinales Hiſpaniæ adhærentes. Non opus erat, ut cum omnibus loquere-
tur.

Digitized by Google

tur. Primus, quem convenerat, velum ei ab oculis adimebat, & demõſtrabat, quàm malè vidiſſet; quod Barberinus optimè ſciret hoc negotium non poſſe ſuccedere, & quamvis forſan ad hoc propẽſus eſſet Barberinus, quia addictior Lugus eſſet Barberino, quàm Hiſpanis, nulla tamen adeſſet ſpes boni eventus, quia Galli ſi non haberent numerum votorum ſufficientem ad reſiſtendum huic electioni facilius proteſtarentur de nullitate, quàm conſentirent ejusmodi creationi, & hoc aperiret feneſtram ſchiſmati tam pernicioſo Eccleſiæ, & tam contrario Reip. quod Lugus nihil ejus poſſideret, quod in Pontifice exigitur: quod ſublata Theologia ſpeculativa, in cæteris eſſet ineptꝰ Regimini, quoniam nullum rerum uſum haberet, & ne quidem Rector collegii fuiſſet: quod hoc eſſet facere multos Jeſuitas Papam, qui illi pro illorum ingenio dominarentur, privãdo illum proprii arbitrii uſu in omnibꝰ, imò etiam in minimis: quod Cardinales non adeo eſſent ſtolidi, ut ſe ſubjicerent tam duro & gravi jugo, quale eſſet Dominium

Digitized by Google

nium Jeſuitarum, qui vitæ innocentia & literatura ſe faciunt inſtrumenta regnandi, non adſpirantes ad aliud, quàm ad deſiderium dandi Leges, ubicunque ſint, & moderari Principum Reſp. tam ſeculares, quàm Eccleſiaſticas ſuo more: quod tandem Cardinalis Bellarminus præditus eruditione longè utiliori Eccleſiæ Catholicæ, quam ſpeculativa Lugi, cui conjunxerat vitæ ſanctimoniam ſine comparatione majorem, non potuiſſet pervenire ad Pontificatum, ideo multò minor ſpes eſſet, ut Lugo voti compos fieret. Hoc reſponſo contentus Legatus erat, & Barberini oblatio nullum proferebat fructum. Magnus in conclavi ſtrepitꝰ erat propter moram omnibus intolerabilem. Jam feſtum Paſchatis advenerat, & nullus videbatur modus finem imponendi conclavi. Unum erat quod accelerabat finem. XXVIII vota dabantur Cardinali Capponio; hæc vota procurabantur à Medicæis ad metum incutiendum Barberino, & ipſi datores eundem habebant finem. Propenſi erant Hiſpani erga Capponium, Galli non

Digitized by Google

erant animo ab eo alieno, tantum per famam ipſius prudentiæ, quantum propter morum ſuavitatem: quoniam tam dextrè noverat agere cum Legatis, ut nemo offenſus de iſto conqueſtus ſit. Cardinales ſenes adhærebant ejusmodi electioni, quæ neminem eorum ſpe in futurum privaret: juvenes poſt declarationem ſe velle hominem meritis inſignem contenti erant, ut eligeretur vir tanta prudentia & rerum uſu, quem ſpatio XLV. annorum in purpuræ dignitate ſibi acquiſiverat, clarus. Medicæis gratius nihil poterat accidere hac electione, quia ſemper reverenter ſe geſſit erga illorum domum, & quia illorum ſubditus erat, hoc ſedaret voces illorum, qui propter excluſionem Sachetti criminabantur, domum Medicæam neminem ex ſuis ſubditis ad Pontificatum admiſſuram, eamq; ob cauſam Sachettum eſſe rejectum. Cardinali Antonio hujus electio placebat, optima ſibi interceſſerat amicitia cum illo tempore Urbani VIII. & ultra idipſum circa finem iſtius Pontificatus tractaverat cum eo de reſignatione

Ar-

Digitized by Google

Archiepiſcopatus Ravennenſis, quem Antonius ad imitationem Petri Aldobrandi deſiderabat, ut haberet veluti locum, ubi ſe recipere poſſet: quod erat jam præſagium illarum calamitatum & perſecutionum, quæ illum aliquando ſedem Romæ mutare cogerent. Hæc animorum propenſio erat erga Capponium; & quidam cenſent, ſi negotium fuiſſet ſollicitatum exactè ab aliquo, quod Barberinus à timore tranſiiſſet ad damnum; poſtquam electum vidiſſet Cardinalem, à quo omnino alienus erat. Capponius ſatis gratus fuerat Gregorio XV, & ab illo habuit Archiepiſcopatum Ravennenſem forſan meliorem, qui à Papa ſine nominatione Principum ſecularium alicui conferri poſſit, vacabat ille tunc per obitum Aldobrandini: Adverſitates Ludoviſii nepotis Gregorii erant poſtea tam magnæ in Pontificatu Urbani, ut per conſenſum earum participes fierent omnes ſui & patrui amici. Capponius itaque in perſecutionibus Ludoviſii amiſit apud Urbanum id, quod ſolent amittere amici eorum, qui perſecutionem patiuntur; addebatur huic quod in quadam

lite inter Cardinalem Bagnum & Capponium Barberinus ſe inimicum præſtaret ad favendum Bagno, procurans, ut ille falſarius videretur; per has & alias rationes abhorrebat Capponius à Barberino. Addictiſſimi Sachetto erāt etiam alieni à Capponio, quoniam Hiſpanorum obſtinatio in excludēdo Sachetto aliquo modo conſiliis Capponii tribuebatur. Quodam die Joannes Carolus oſtiarius conclavis agitatus timore, ne tandem Sachettus eveheretur, quærebat ex Capponio, quid ſibi agēdum eſſet? Ille reſpondebat conſtanter, nunc perſeverandum in propoſito eſſe: rem eſſe eo redactam, ut nulla benevolentia & amor eſſet ſufficiens ad recompenſandum offenſionē, quam Sachettus præſumebat accepiſſe à domo Medicæa: quod etiamſi concurreret ad ipſius electionem, quibuscunq; rationibus adductus ſemper id tribueretur conſtantiæ factionis volantis, & infelicitati excludentium. Barberino parum laboris ſuſcipiendum erat ad impediendum Capponii electionem, exiſtimabat enim neceſſarium, ut curaret conclave finiri, & ſe ſolvi periculo, quod exinde

oriri

Digitized by Google

oriri poſſet; videbat jam evanuiſſe ſpem pro ſeipſo; ſeq; incaſſum credidiſſe, ſe debere eſſe arbitrum conclavis, ſi illud longè duraret, exiſtimãs Medicæos propter corporis imbecillitatem tunc è conclavi exceſſuros, & ſi Cardinalis Joannes Carolus incolumis intus maneret, forſan tam imperiosè illum acturum, ut facilimè propriis commodis damnum afferre poſſet. Erat aliquis, qui mentionem Brancaccii faciebat: multum favoris ille Cardinalis habebat in conclavi & extra conclave: opinio ipſius eruditione vix major eſſe poterat, & illa conſiſtebat in rebus præcipuè ad Eccleſiam pertinentibus, hoc eſt in Canonibus, hiſtoria Eccleſiaſtica, Conciliis, controverſiis & SanctisPatribus: in illa doctrina pro excellenti & ſingulari ad minimùm interCardinalesBrancaccius reputabatur; idem teſtabantur congregationes & examen Epiſcoporum. Epiſcopatus Viterbienſis vicinus Romæ faciebat, ut omnibus ejus merita innoteſcerent: principio dubitabatur, an Hiſpani ei fiderent, ſed id dubium proveniebat tantum ex conjectura; nihilominus judicabatur Pontifi-
 cem

Digitized by Google

cem Neapolitanum his tam lubricis temporibus parum uſui eſſe Monarchiæ Hiſpaniæ. Seditio adeò jam humores Neapolitanorum alteravit, ut ad reducendum eos ad debitum temperamentum, & perfectam conſonantiam omnis labor inutilis fuerit, præter tempus, quod mater oblivionum eſt; Domini Brancacci præſertim, qui proxima propinquitate Cardinali conjuncti ſunt, ſe præſtiterunt tam fidos Hiſpanis in his tumultibus, ut magna evehe rentur laude à miniſtris Hiſpaniæ, præſertim à Comite Ognati, qui Regi ſcripſit, & illorum fidelitatē deprædicavit, quodq; occaſione oblatâ compenſationem mererentur. Dicunt tamen, quod exceperint dicti miniſtri evectionem Cardinalis ad Pontificatum, conſiderantes idipſum non eſſe uſui, rei experientia jàm edocti, in Pontificibus ſemper prævaluiſſe deſiderium amplificandi Dominium Eccleſiaſticum, illudque amplius ad ſucceſſores transmittendi, eoſque ſemper in Pontificatu dicto deſiderio ducti depoſuiſſe benevolentiam & amorem, quo antea complexi fuerint Principes.

Reg-

Digitized by Google

Regnum Neapolitanum poſſet plus, quàm aliud adaugere Patrimonium D. Petri, neque ullus, quàm Papa Neapolitanus ſpem hujus incrementi majorem habere poſſet. Hæc erant, quæ de animo Hiſpanorum conjiciebantur, ſed manifeſtum fiebat, illa haud niti fundamento, quoniam ab illorum parte nulla diffidentiæ declaratio emanabat. Medicæi amabant eum, & non niſi Hiſpanorum juſſu ſe ei oppoſuiſſent; Tandem ſtudia erga Sachettum tam magna erant, ut omnes Hiſpanorum labores conſumerentur ad hoc impediendum. Incipiebat Barberinus cum Sachetto agere, ut ſtudia Conrado conciliarentur, ſed hic accepto reſponſo à Mazarino, in quo Mazarinus promittebat, ſe fauturum Chiſio, reſpondebat, antequam de alio ageretur, ſe deſiderare, ut tentaretur, an fortuna Chiſio propitia eſſe vellet. Barberinus præſumebat Medicæos nunquam conſenſum daturos propter easdē rationes, quæ eos ad reſiſtendum Sachetto impuliſſent, dicebat, ſi noluiſſent admittere ſubditum Florentinum, multo minus nunc admiſſuros eſſe Senenſem, &, ut ſummatim di-

Digitized by Google

tam, ſive fruſtra de Chiſio ageretur, ſive cum bono eventu, nolebat conſentire de hujus electionis tractatu. Loquebatur de hoc poſtea cum Cardinale Lugo, qui plus aliis optabat promotionem Chiſii, & cum Antonio, cujus ſententiam explorare op9 erat in re, cui minima oppoſitio magnum objicere poterat impedimentum. Hunc tædebat neminem è creaturis patrui debere evehi, quoniam tam multi & tam apti ex iis eſſent. Dolebat omnes illos poſtponi juveni & novitio in novo Cardinalium collegio. Oſtendebat nihilominus, ſe non eſſe alienum à Chiſio, ſed ſe adhuc omnem lapidem moturum, ut Rapacciolus eveheretur. Hæc propoſitio poterat quidem Rapacciolo, ſed multò magis Sachetto ſervire, quoniam videntes ſe in medio Chiſii & Rapaccioli (uterque juvenis erat) facilè poterant ad adhærendum ipſi Sachetto adduci; tamen haud amplius agebatur de Rapacciolo: manifeſtum n. erat fruſtra hoc ſuſcipi. Barberinus & factio volans deliberabant tunc de ita inſtituendis ſtudiis, ne fruſtra de Chiſio, aut ſi ſpe deciderent, de Sachetto ageretur, ut

Senes

Digitized by Google

Senes ad adhærendum Sachetto impellerentur, è re illis videbatur proponere Chiſium, ut Medicæi Chiſio faverent oportunum videbatur renovare ſtudia erga Sachettum. Opinio Medicæos fore Chiſio contrarios nitebatur tantùm conjectura, quoniam benevolentiæ erga illum documenta exhibebant, ſemper eum votis honoraverant, & Barberino dixerant, ſe contentos eſſe creatione Chiſii, & hoc tam nativo lepore proferebatur, ut haud veriſimile eſſet, fuiſſe arte dictum, ut ſuſpicionem Barberino darent, eumque à Chiſio alienarent. Prudentia tamen Politica conſulere Medicæis videbatur, ut hanc electionẽ impedirent. C. de Lugo ideò à Barberinis ad Medicæos, à Medicæis ad Barberinos ibat & redibat, ut referret ad utramq; partem, quod altera ei indicari volebat: cõveniebat Antonius Joannem Carolum Cardinalem & poſtea eundem Franciſcus & concordes fiebant de eligendo Chiſio, factio volans idem ſtatuebat. Barberinus poſtea mittebat Palottam ad Chiſium, ut illi diceret bono eſſet animo; nam inſequenti die fore, ut ſummus Pontifex ado-

Digitized by Google

raretur: idem paulò poſt fecit Joannes Carolus ſchedula, quam Comiti Caldo ſuo conclaviſtæ Chiſio deferendam dabat. Bichius propinquitate Chiſio junctus & popularis nihil magis in votis habebat in conclavi, quàm huic favere: cum Gallia illum excluderet, nulla ſui deſiderii ſigna exhibuerat, cognoſcens illam excluſionem revocatam, omnem movebat lapidem, ut voti compos fieret. Timebatur ne Grimaldus, qui primo contrarius fuerat Chiſio propter Galliam, nunc proprio genio ductus ita contrariari pergeret: ſi id fieret, res malè ſuccederet, quoniam vir tantæ prudentiæ & judicii, ut Grimaldus, facto capite ſenum poſſet etiam nonnullos juniores ad partes ſuas trahere, & ita ſtudia erga Chiſium diſſipare: Bichius tamen magna curâ Grimaldum Chiſio conciliare laborabat, & obtinebat ab eo, quod optabat, præſertim cum nulla Grimaldo eſſet cauſa, quæ poſſet eum à Chiſio alienare. Nihil magis prodeſt Cardinali Papabili, quàm cum excluſio facta à quodam Rege poſtea revocatur: quoniam malevoli nihil contra excluſum tentant, putantes ejus-
modi

Digitized by Google

modi excluſionem per ſe eſſe ſufficientem. Ita oppoſitio Galliæ procurata ac promiſſa â Cardinale Antonio impediverat, ne multi inimici ſe electioni Pamphilii opponerent. Oppoſitio Galliæ & nunc juvit Cardinalem Chiſium propter eaſdem cauſas. Inter alios inimicos erat Roſettus propter disſidia, quæ inter illos verſabantur, cum uterq; Coloniæ eſſet Nuncius: Roſettus extraordinarius, & Chiſius ordinarius: hic ſcripſerat literas ad Urbanum contra Roſettum, quæ duobus diebus, poſtquam Roſettus Cardinalis eſſet factus Urbano redditæ fuerant, & ſi antea eas accepiſſet, nunquam eum purpura ornaſſet. Roſettus ideo factionis Hiſpanicæ membrum in ambobus conclavibus potuiſſet damnum Chiſio inferre, niſi periculum timuiſſet: cognitum enim habebat, quid factionum Principes ſtatuiſſent. Nemo auſus eſt ſe opponere huic, timens ne iis invitis hunc gradum ſcanderet. Rebus itaque ſpatio trium & quatuor dierum ita diſpoſitis à factionū principibus, poſt ſcrutinium colloquebantur in Sacello Sixti Medicæus & Barberinus cum aliis factio-

Digitized by Google

nibus adhærentibus, & ſtatuebatur, ut inſequẽti die mane procederetur ad electionem, exeuntes è ſcrutinio Cardinales videbantur apium examen: tam magnus erat ſuſurrus, & ſine interjectâ magnâ mora intrabant in cellam Chiſii, ut gratularentur ei: ille principio plorabat tenerrimè & manu oculos tegebat, poſtea confirmato animo gratias agebat omnibus pro illorum amore cum demonſtratione benevolentiæ accommodata ejusmodi occaſioni. Nox videbatur longior ſolito propter deſiderium finiendi conclave in electione ſanctiori, quàm multis ab hinc annis facta ſit. Ipſius bonitas, morum ſuavitas & eruditio in omni facultate, experientia in rebus politicis faciebant mixturam tam perfectam, ut difficile fuiſſet invenire meliorem: hoc delebat conſiderationem juventutis in animis electorum, ſopiebat commoda privata in factioſis, & ſatisfaciebat omnium voluntati, qui optabant Eccleſiæ caput aptum regimini his periculoſis temporibus, & piſcatorem idoneum ad regẽdam Petri navem inter tempeſtates, quas ab omni parte concitant pa-

ganiſ-

Digitized by Google

ganiſmus, hæreſes & bella civilia Catholicorum; in ſumma Principem, qui quantum in hac humana fragilitate fieri poteſt, ſequendo legum humanarum & divinarum dictamen, vitæ innocentiâ & ſanctimoniâ Chriſtum, cujus eſt vicarius, imitatur. Erat Chiſius ſemper in numero majoribus cōſpicuorum meritis, quia ſe ſemper alienum ab ambitione Pontificatum ambiendi oſtendebat; id multiplicabat opinionem meritorum ſuorum: nunquam extra ſuam cellam reperiebatur ad ſcrutinium aut quædā congregatio ſpectans ad regimen ſtatus Eccleſiaſtici illum prodire faciebat; ſolùm ipſius mores merita & virtus eum Candidatum faciebant. Inter ridicula, quæ hodie occurrunt, ponendum eſſe dicebat aliquis in conclavi, quod Hiſpani deſiderarent Pontificem ſine privati commodi cauſa, Galli quendam, quem excluſerunt, Cardinales juniores hominem bonum, ſenes juvenem, Medicæi Senenſem & Barberini aliquem, qui non eſt eorum creatura: ſed nihil ridiculi in hujusmodi electione reperiri poteſt, nam Spir. S. tandem moderatur, prout lubet, negotia humana, & id plus in conclavi, quâm alibi. Si olim permiſit electionem hominum multo aptiorem ad fædandum ſedem Petri, quàm honorādum, fecit id ad puniendum noſtra peccata, nunc credi poteſt, ſuam divinam iram eſſe mitigatam, quia

Digitized by Google

quia caputEccleſiæ dedit talem,qui ab ipſisEcclesiæ inimicis propter vitæ ſanctimoniam dignus eo gradu reputatus ſit. Ea nocte tentaverat Roſettus impedire hujus electionem: conveniebat Barberinum, & rogabat,ut de Chiſio agi ſuſpenderetur, ſe cum ſuo & quatuor aliis votis inſequenti mane multiplicaturum votorum numerum proSachetto;atBarberinus jam rogaverat ſuas creaturas,utChiſio faverent,ideo reſpondebatRoſetto,non eſſe amplius tempus de hoc agendi.Ideo ſummo mane incipiebatur ſcrutinium,& inveniebantur tot vota in ſcrutinio & acceſſu proChiſio,quot erantCardinales in conclavi, & ita nemine diſcrepante (quod in aliisPontificum electionib9 fieri non ſolet)appellaturPontifex.Ille coram altari flexis genibus per aliquantulum temporis ſpatium orabat, & poſtea conſenſum dabat. Quilibet teſtimonium ferre poteſt,cum quantâ lætitiâ populus & omnes, qui amant virtutem & felicitatem Eccleſiæ deſiderant, hoc cognoverint. Deus,qui ſe propitium præſtitit ſuæ ſponſæ dono tam ſancti & digni capitis,pergat largiri illi longam vitam,& proſperum rerum ſucceſſum.

(o)

S.D.N.

S. D. N.

D. URBANI DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ VIII.

Confirmatio Bullæ Gregorii XV. de Electione Romani Pontificis, & Cæremonialis continentis illius ritus.

Digitized by Google

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Romani Pontificis providētiam ſpectare dignoſcitur, ut ea, quæ ſalubriter à prædeceſſoribus ſuis, præſertim Sedis Apoſtolicæ, & univerſalis Eccleſiæ decori, & utilitati conducentia ſtatuta ſunt firma, & inconcuſſa quantum ex alto conceditur perſeverent. Cum igitur formam in ejusdem Pontificis electione ſervandam Sacrorum Conciliorum decretis, & variis Apoſtolicis conſtitutionibus ſæpius præſcriptam felicis recordationis Gregorius Papa XV. prædeceſſor noſter paſtorali ſollicitudine permotus, ut res tanti pōderis poſtulabat perfectius dirigendam duxe-

duxerit Conſtitutione deſuper edita cujus tenor eſt talis, Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Æterni Patris, Filius, Magiſter, & Legislator Chriſtus Dominus, cujus omnis actio, noſtra eſt inſtructio, licet portaret omnia verbo virtutis ſuæ, nec eſſet quicquam abſconditum ab oculis ejus, tamen priusquàm ad Apoſtolatus munus duodecim Apoſtolos eligeret, & nominaret, quod aliàs unquam feciſſe in ſcripturis non legimus, pernoctare voluit in oratione Dei: & antequam B. Petro ovium ſuarum curam committeret, tertium repetita interrogatione, trinam extare æterni amoris ejus profesſionem; Nos ſcilicet erudiens quanta diligentia, cautione, & cura in omnium Paſtorum electione adniti debeamus, ut boni eligantur, & fideles; præſertim verò in Beati Petri Succeſſoris, qui Orbis eſt lumen, Doctor gentium, & Paſtor Paſtorum. Quapropter ſatis etiam admonemur nihil eorum, quæ ad electionis Romani Pontificis negocium cautius & melius tranſigendum conducunt, omit-

Digitized by Google

omitti debere: ſalus n. non unius membri, ſed totius corporis agitur, cum de capite conſulitur. Igitur & ſi diverſis fel. record. Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, & Sanctorum Patrum decretis ſalubriter proviſum eſt, ut ejus electio ritè, & rectè peragatur, & in ea non caro & ſanguis, aut humana ſapientia, quæ ſtultitia eſt apud Deum denominetur, ſed Spiritus Sancti gratia omnia dirigantur, & gubernentur: nihilominus, ut dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam, experientia compertum eſt ſalubriori remedio locum non deeſſe. Nos igitur quos poſuit Dominus, licet nullis ſuffragantibus meritis, regere Eccleſiam ſuam, ne in extremo die prætermiſſi officii in re tanti momenti à nobis ratio à diſtricto Judice exigatur, quod multorum etiam votis, & poſtulationibus multum expetitum eſt, Sancti Spiritus adſpirante gratia, faciendum decrevimus. Matura itaq; cum Venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus deliberatione habita, de eorundem fratrum conſilio pariter, & aſ-

ſenſu, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, ſtatuimus, decernimus, & declaramus in poſterum electionem Romani Pontificis fieri aliter non poſſe, quàm in Conclavi, & eo clauſo, ac poſt celebratum in eo prima die Sacroſanctum Miſſæ ſolitum Sacrificium, cui Cardinales intereſſe, & in eo communicare conſueverunt, ac per ſecreta Schedularum ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium, in Conclavi præſentium, præterquam ſi omnes, & ſinguli Cardinales ſimiliter in Cóclavi præſentes, nemine diſſentiente, aliquibus ex eorundem Collegio Cardinalium committerent eligendi poteſtatem, ut vice omnium Eccleſiæ Catholicæ providerent de Paſtore: aut niſi communiter ab omnibus, & ſingulis Cardinalibus, qui itidem in Conclavi præſentes erunt, nemine pariter diſſentiente, quaſi per inſpirationem, nullo præcedente de perſona ſpeciali tractatu, per verbum Eligo, intelligibili voce prolatum, aut ſcripto, ſi voce fieri non potuerit, expreſſum, fuerit celebrata. Numerum autem Suffragiorum

Digitized by Google

duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi præſentium, ut electio per viam Scrutinii, ſive Scrutinii & acceſſus valida ſit, decernimus, & declaramus ita eſſe cenſendum, ut in duabus tertiis partibus Suffragium electi non numeretur, nec quiſquam ſive Scrutinii, ſive ſcrutinii & acceſſus, ſine compromiſſi via procedatur, ſeipſum eligere, ſeu ſuffragium ſibi dare ullatenus poſſit: Electi tamen perſona, ſi in Conclavi ſit, debeat in numerum Cardinalium computari. Rurſus nemo per viam Scrutinii, ſeu Scrntinii & acceſſus habeatur pro electo, niſi publicatis omnibus ſuffragiis, & electi, ſi numerum tantummodo duarum ex tribus partibus habuiſſe compertum ſit, etiam ſchedulis apertis. Ac ſi contingat plures in ſchedulis nominatos, duas tertias partes ſuffragiorum tuliſſe, in ſuffragiorum paritate neuter ſit electus, in imparitate verò, qui numero ſuffragiorum ſuperior erit, dummodo duas tertias partes, etiam in uno ſuffragio excedat electus cenſeatur. Inſuper in uno quoque Scrutinio antequàm Schedula in calicem

cem mittatur, à quolibet Cardinale jura-mentum alta, & intelligibili voce fiat his verbis: Teſtor Chriſtum Dominum, qui me judicaturus eſt, me eligere quem ſecundum DEUM judico eligi debere, & quod idem in acceſſu præſtabo. Et hoc juramentum à nullo omittatur. Suffragiorum autē Schedulæ hujusmodi tam Scrutinii, quàm acceſſus, ubi fieri potuerit, impreſſæ omnino eſſe debeant, ubi non potuerit, unius tantum manu ſcriptæ ſint; ita videlicet, ut tam impreſſæ, quàm ita ſcriptæ, ea omnia, quæ in Schedulis hujusmodi exprimi ſolent, contineant, præter ſola nomina, ſeu denominationes eligentis, & electi, & infraſcripta ſigna, quę omnia manu ejusdem eligentis ſcribantur: & nomen quidem eligētis in prima parte Schedulæ, electi vero in ſequenti; & rurſus electi, quantum fieri poterit charactere alterato, ita ut cognoſci non poſſit: eaq; Schedulæ pars in qua erit eligentis nomen claudatur, ac ſigillo ad hoc parato, ac ſecretè habito, non autem eo quo quiſque uti ſolet, obſignetur. Ut autem videri poſſit, ne

 qui

qui alicui acceſſit, eidem in Scrutinio ſuffragium dederit, Schedulæ omnes duobus aliis ſignis in ultima parte ſignentur, numero nempe aliquo, & brevi dicto Sacræ Scripturæ, vel alio hujusmodi; quæ ſigna in utraque Schedula tàm Scrutinii, quàm acceſſus eadem ſint. Poſtea verò pars illa Schedulæ, ubi hæc ſigna erunt, etiam complicetur, & obſignetur, ne à Scrutatoribus videri poſſit, niſi poſtquam fuerit per Scrutinium, & acceſſum electio perfecta; quo caſu Schedulæ acceſſus à Scrutatoribus ea in parte, ubi duo prædicta ſunt ſigna, aperiantur, iisque inſpectis, & earum ſigillis, aliæ Schedulæ cum iisdem ſignis notatæ, & in Scrutinio datæ reperiantur, ut videlicet an duo hæc ſigna, & ſigillum eadem ſint cognoſcatur, & inde duo ſuffragia ab eodem Cardinali uni data non fuiſſe appareat. At ſi inter Schedulas Scrutinii nulla reperietur iisdem ſignis notata, quibus Schedula Acceſſus ſignata erit, aut ſi quis eidem acceſſerit, quem in Scrutinio nominaverit, utroque caſus ſuffragium acceſſus nullum ſit. Subſcriptio autem, ſeu nomen eligen-

Digitized by Google

ligentis reſignari non poſſit, niſi contingat, ut ſigillum, & alia duo prædicta ſigna ſint eadem cum ſignis, & ſigillo alicujus alterius Cardinalis, aut alia difficultate cogente. Quod autem attinet ad nomen electi, illud eo modo à Cardinalibus ſcribatur, quomodo in folio impreſſo, ubi in Conclavi notari ſuffragia ſolent. Præterea, ut ſecreto cautius conſulatur, Schedulæ ſuffragiorum conficiantur, una, ſeu pluribus in menſis, in media Capella conſtitutis, ita à Cardinalibus remotis, & circumſeptis, ut quid ſcribatur ab aliis videri non poſsit. Si quis verò ad menſam accedere, impeditus valetudine non poterit, is ſuffragium ſuum in loco ſuo ſecretè conficere debeat, & ad illud accipiendum ultimus Scrutatorum accedat. Et ut acceſſus ſecretè etiam peragatur, Scrutinio publicato, ſi electio per conſenſum duarum partium in eo non fuerit celebrata, ſtatim antequam ad alios actus deveniatur, Cardinales Schedulam pro acceſſu formatam prædictis in menſis conficere, ſicut in Scrutinio teneantur. Porrò uſus Schedularum pro acceſſu talis

Digitized by Google

erit. Qui accedere alicui ex nominatis in Scrutinio voluerit, ejus nomen ſcribet, qui verò noluerit, ne cognoſci poſſit eum nulli accedere, in loco nominis ſcribat Nemini. Nulli autem tam in Schedula Scrutinii, quàm acceſſus plures nominare liceat, alioquin ſuffragium in quo plures fuerint nominati nullum ſit: accedere tamen uni ex nominatis à ſe in dictâ Schedula, vel alii, dummodo aliquod aliud ſuffragium in eodem Scrutinio tulerit, non prohibeatur, & in numerum Cardinalium in Conclavi præſentium numeretur. Neque in quolibet Scrutinio, niſi ſemel accedere liceat; neque per acceſſum ab alterius nominatione, in Scrutinii Schedula facta, recedi decernimus, & declaramus. Inſuper antequam Schedulæ, ſive Scrutinii, ſive Acceſſus à Scrutatoribus aperiantur, omnes ab iis diligentisſimè palam numerentur: & ſi plures repertæ fuerint, quàm ſint Cardinales in Conclavi præſentes omnes comburantur, & iterum ad ſuffragia ſtatim deveniatur. Si quis autem aliquid ex ſupra expresſis non ſervaverit, aut quomo-

mo-

Digitized by Google

modocunque directè, vel indirectè in aliquo contravenerit, ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrat. Prætera ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi aliquem infirmitas impediverit ad Scrutinium venire, ad eum adire debeant tres Cardinales, ſorte ante Scrutinium, ut infra ad hanc rem ex omnibus Cardinalibus per ultimum Diaconorum extracti, cum capſula perforata, ſed inani, & palam à Scrutatoribus clauſa, cujus clavis ſuper altare remaneat, & Schedulam impreſſam illi deferre, ipſeque illam, ſicut alii Cardinales, prævio juramento ſupraſcripto, ſecretè conficere teneatur, deinde in capſulam conjiciat, eaque per eosdem Cardinales relata, & aperta, in calicem Schedula mittatur, Publicato deinde Scrutinio, ſi acceſſus agendus erit, ut etiam Infirmi accedere poſſint, unum ex foliis in quibus nomina Cardinalium, & ſuffragiorum numerus notatur à tribus Cardinalibus prædictis ſumatur, & palam recognito numero ſuffragiorum, quæ quisque in Scrutinio tulerit, ad infirmum una cum alia impreſſa Schedula, pro

 acceſ-

Digitized by Google

acceſſu parata, & cum eadem capſula ab iis deferatur. Infirmus verò alicui accedere, vel nemini accedere debeat, omniaque & ſingula ſerventur, quæ de Scrutinii Schedula ſupra ordinata ſunt, ſub eadem excommunicationis latæ ſententiæ pœna. At ſi quis ſcribere valetudine impediatur, per alium prævio juramento ab eo qui ſcribet præſtando, de ſervando ſecreto, quod ſub eadem excommunicationis pœna ſervari mandamus, ſcribere liberè poſſit. Adhæc Scrutatores tres, ſicut & tres alii Cardinales, qui ad Infirmorum ſuffragia deferenda proficiſcentur, ex omnibus Cardinalibus præſentibus in Conclavi, nulla ordinis ſervata diſtinctione, ſorte, imediatè ante quodlibet Scrutinium per ultimum Diaconum extrahantur, & qui ſemel extracti fuerint, in vas iterum conjiciantur; alioquin ſi quis contrafecerit, ſicut ſi Scrutatores, vel Recognitores aliquid ſecretiin exercendo ſuo officio cognoverint, illud revelaverint, eandem latæ ſententiæ excommunicationem incurrant. Finito Scrutinio, & acceſſu, ſive electio ſequuta

quuta

Digitized by Google

quuta ſit, ſive nõn ſit, tres alii Cardinales, ſorte pariter, ut ſupra extrahendi, Schedulas omnes recognoſcere debeant, ſigillo tamen, & duobus aliis ſignis, ſi aperta non fuerint intactis remanentibus. Quæ omnes, & ſingulæ Schedulæ, ſive ſequuta, ſive non ſequuta electione, poſtmodum ſtatim palam comburantur. Similiter ne electio protrahatur ſtatuimus, & ordinamus, ut ſub ſimili excõmunicationis pœna, eo ipſo incurrenda, Scrutinium bis ſingulis diebus peragatur, ita ut etiam perficiatur, mane ſcilicet poſt ſolitam miſſam, & prima quidem die tantum poſt Cardinalium ſacram peractam Cõmunionem, & pomeridiano tempore hora opportuna, poſt Hymnum Veni Creator Spiritus, & orationem de Spiritu Sancto: idemq; ſi cõpromisſi via eligatur, obſervari debeat: atque ad Scrutinium cum tertium pulſata per loca ſolita Conclavis campanula de more fuerit, omnes, & ſinguli Cardinales convenire debeant, valetudine non impediti, ſub eadem excommunicationis latæ ſentẽtiæ pœna Cardinales præterea omni-

 no

no abſtineant ab omnibus pactionibus, conventionibus, promisſionibus, intendimentis, condictis, fœderibus, aliisque quibuscunque obligationibus, minis, ſignis, contraſignis ſuffragiorum, ſeu Schedularum, aut aliis tàm verbo, quàm ſcripto, aut quomodocunque dandis, aut petendis, tàm reſpectu incluſionis, quàm excluſionis, tàm unius perſonæ, quàm plurium, aut certi generis, veluti creaturarum, aut hujuſmodi, ſeu de ſuffragio dando, vel non dando, quæ omnia, & ſingula, ſi de facto intervenerint, etiam juramento adjecto, nulla, & irrita, neque ad eorum obſervantiam quemquam teneri, aut ex transgresſione notam incurrere fidei non ſervatæ decernimus, & declaramus; contrafacientes ex nunc excommunicationis pœna innodamus: tractatus tamen pro electione habendos vetare non intelligimus. Quod ſi electio hujusmodi alibi celebrata fuerit, quam in Conclavi clauſo, vel aliter, quàm per ſecreta Schedularum ſuffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium, in Conclavi præſentium in Scrutinio,

Digitized by Google

nio, ſeu Scrutinio & acceſſu, electi ſuffragio non computato, vel per viam compromiſſi, ab omnibus Cardinalibus ſimiliter in Conclavi præſentibus, nemine diſſentiente initi, & ita ut nemo ſeipſum elegerit: vel quaſi per inſpirationem nullo præcedente de perſona ſpeciali tractatu, omnium pariter Cardinalium, præſentium in Conclavi, communiter, nemine itidem diſſentiente, per verbum, Eligo, intelligibili voce prolatum, aut ſcripto, ſi voce non potuerit, expreſſum, nulla ſit, & invalida eo ipſo, abſque ulla declaratione, & ita electo nullum jus tribuat: quinimo is non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus ſit, & habeatur, & tàm ipſe, quàm eligentes, ejusq; fautores, & complices ſententiam excommunicationis, & anathema, aliasq; cenſuras, & pœnas invaſoribus Sedis Apoſtolicæ à Sacris Canonibus, & Conſtitutionib9 Apoſtolicis impoſitas, pariter ipſo facto incurrant, à qua ſicut ab alia quacunque in hac Conſtitutione impoſita, & irrogata, ſeu infra imponenda, & irroganda pœna excommunicationis tàm ipſi, quàm quili-
bet

bet alius, ſive S. R. E. Card. ſive alia perſona cujuscunque gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ, à nullo, neque etiam à majori Pœnitentiario, cujuscunq; facultatis vigore, præterquam à Roman. Pontifice, niſi in mortis articulo abſolvi poſſit, & tàm ipſe, ejusq; complices, & fautores, quàm alii quicunque etiam S. R. E. Cardinales hujus Conſtitutionis in aliquo transgreſſores aliis graviſſimis pœnis teneantur, futuri Pontificis canonicè intrantis arbitrio irrogandis. Poſtremò ſtatuimus, & diſtrictè præcipiendo mandamus, ut S. R. E. Card., quæcunq; ſecretũ violare quomodolibet poterunt, omnia evitare, & cavere omninò teneantur, cum intentio, & mens veſtra ſit electionis hujusmodi tàm ſanctum negocium, ſi fiat per Scrutinium, ſeu Scrutinium & acceſſum, ut præfertur, ſecretisſimè transigatur, ac proinde, iisdem omnib9, & ſingulis S.R.E. Card. & eorum Sacro Collegio inhibemus, ne contra hæc, vel horum aliquod ſtatuere, diſponere, vel ordinare, ſeu in aliquo corrigere, alterare, mutare, ſeu aliquo modo facere,

facere, tractare, moliri, vel attentare præſumant quovis prætextu, cauſa, vel exquiſito colore ſub eadem excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda. Ut autem hujusmodi noſtra Conſtitutio inviolabilius obſervetur, tres Cardinales, qui ſingulis diebus Congregationibus agendis præpoſiti ſunt, & cum iis S. R. E. Camerarius illam in omnibus, & per omnia obſervari procurent, & faciant. Volumus etiam, & decernimus, cenſurarum, & excommunicationum prædictarum, & aliarum quarumcunque prætextu, vel cauſa Cardinales à Summi Pont. electione activa, & paſſiva excludi nullo modo poſſe, quas quidem cenſuras, & excommunicationes ad effectum hujusmodi electionis tantum, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſuſpendimus: decernentes easdem excommunicationes, & cenſuras eos ſolum afficere, qui deliquerint, non autem alios Conclavi durante, qui cum iis converſati fuerint. Cæterum, & ſi opus non eſſe in Domino confidimus, tamen pro officii noſtri debito, & rei de qua agitur gravitate, admonemus,

Digitized by Google

mus, hortamur, & in Domino obſecramus S. R. E. Cardinales, ut attentè conſiderent perſonæ quam ſuſtinent, officium, & dignitatem, quam Sacrum præterea, & quanti momenti ſit opus, quod tractant, & nihil quod ſe non deceat, nihil à re alienum cōmittant, ſed cogitent, quàm perniciosum futurum ſit univerſæ Eccleſiæ, Chriſti ſanguine acquiſitæ, ſi malè adminiſtretur; ac proinde exuant omnes mundanas curas, & induant ſolum Dominum Noſtrum JESUM Chriſtum memores nihil prodeſſe homini ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Denique animum advertant ſe in Conclavi clauſos editisſima in ſpecula conſtitutos eſſe, & factos ſpectaculum Deo, & hominibus à Domino, cujus negocium gerunt, ſupplicii, vel gloriæ ſempiternæ retributionem citisſimè laturos. Non obſtant, quatenus opus ſit fel. rec. Alexandri Papæ III. præd. noſtri in Concilio Lateranenſis edita, quæ incipit, Licet de vitanda, & aliorum Rom. Pontif. præd. noſtrorum, & in Conciliis generalibus promulgatis Conſti-

tutio-

Digitized by Google

tutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam in corpore juris clauſis, quib9 omnibus, & ſingulis quatenus pariter opus ſit, eorum omnium, & ſingulorum tenores, perinde, ac ſi ad verbum exprimerentur, pro expreſſis, & inſertis habentes, pro hac vice duntaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus quoque præſentes noſtras coram omnibus in prima Congregatione poſt obitum Pontificis fieri ſolita, & deinde poſt Conclavis ingreſſum, & cum quis ad Cardinalatus honorem promotus fuerit, cum aliis ſimilibus Conſtitutionibus legi, & juramentum ſuper illius obſervatione præſtari, & ita præcipimus, & mandamus. Quibus Conſtitutionibus, & pœnis in eis contentis, niſi in ſuperius expreſſis per hanc noſtrã derogare non intendim9, ſed eas in ſui roboris firmitate relinquere. Sperantes etiam quod Rom. Pontif. qui pro tempore canonicè eligentur, omni ſtudio curaturos, ut quæ noſtris hujuſmodi, & in eis ſalubriter ſtatuta ſunt, inviolabiliter

biliter, ac etiam ſi opus fuerit per pœnarum ipſarum contra transgreſſores executionem obſerventur. Denique volumus eaſdem præſentes in valuis Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon in Acie Campi Floræ per Curſores noſtros affigi, & publicari, ac earum exempla ibidem affixa dimitti, & deinde omnes, & ſingulos Cardinales tàm abſentes quàm præſentes, modernos, & qui pro tempore erunt, & alios quoſcunq; quorum intereſt, vel intereſſe poterit quomodolibet in futurum afficere, & ligare, nullamq; harum ignorantiam prætendere poſſe, ac ſi eis perſonaliter intimatæ forent præmiſſis cæteriſque contrariis quibuscunque non obſtantibus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam noſtrorum Statutorum, Decretorum, Declarationum, Mandatorum, Innodationis, Voluntatis, Admonitionis, Hortationis, Obſecrationis, Inhibitionis, Derogationis, Præcepti, & Suſpenſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem

hoc

Digitized by Google

hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſt. ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, decimo ſeptimo Kalend. Decembr. Pontificatus Noſtri Anno Primo. Et ſucceſſive idem Gregorius prædeceſſor Cæremoniale ritus dictæ Electionis continens de ejus mandato compoſitum confirmaverit, cujus tenor ſequitur, Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem, quæ ad Eccleſiæ Catholicæ felix regimen, ſalubriter à ſe ſtatuuntur, ut quàm facillimè obſerventur, paſtorali ſollicitudine providere, & ea, per quæ à ſe decreta debitum ſortiuntur effectum, ſtabilire. Siquidem poſtquàm novam Conſtitutionem de Romani Pontificis electione, ob cauſas in ea expreſſas, divina aſpirante gratia edidimus; ne ejus uſus, & obſervantia, veteri Rituali Eccleſiæ Romanæ ferè inutili ob eandem Conſtitutionem reddito,

Digitized by Google

proprii Cæremonialis directione deſtitueretur; novum; prout ſequitur, confici mandavimus. Quod, cùm poſt nonnullorum S.R.E. Cardinalium, quibus negocium commiſimus, diligens, ut res poſtulabat, adhibitum examen, confectum fuerit, & à nobis approbatum; ut illud cum omnibus, & ſingulis in eo contentis, inviolabiliter obſervetur, ex noſtri paſtoralis officii debito, providendum cenſuimus. Tenor autem illius eſt, qui ſequitur Romano Pontifice vita functo, Cardinalis præſtito in prima Congregatione juramento de obſervanda Conſtitutione Gregorii Papæ XV. de reformatione conclavis, unà cum aliis Conſtitutionibus, quæ legi, & jurari in ea hactenus conſueverũt, exequias, pro ejus anima juxta ritum hucusq; obſervatum, per novẽ continuos dies facere debent, niſi fortè in illis novem diebus aliquod feſtum ex præcipuis, & magnis incideret, propter cujus obſervantiam, exequias intermitti debere Cardinalibus videretur, hoc enim caſu in numero quidem novem dierum, exequiarum intermiſſa.

Digitized by Google

miſſarum dies computantur: verùm impenſa quæ in omiſſis exequiis facienda eſſet, in pauperes Chriſti juxta Pii IV. conſtitutionem diſtribuenda eſt. Qua etiam conſtitutione, ut exequiarum impenſis, quæ jam in immenſum excreverant, modus, & finis aliquis eſſet, cautum eſt, ne impenſæ illorum novem dierum, decem ducatorum millium ſummam, computatis omnibus, præter regalia Populo Romano præſtari ſolita, excederent, & ut earum impenſarum diſtributio, juſtè fieret, tribus ex antiquioribus Cardinalibus, uni ſcilicet ex quolibet ordine, ac S. R. E. Camerario, commiſſa fuit. Exequiis defuncti Pontificis completis, & interim conclavi opportuno præparato, Cardinales in Baſilica S. Petri, vel alibi pro temporis, & loci opportunitate conveniunt, ubi per Decanum Sacri Collegii, vel eo impedito, per alium ex antiquioribus Cardinalibus, Miſſa de Spiritu Sancto celebratur, & in fine per aliquem Prælatum, aut alium virum doctum habetur oratio, in qua monentur, ut ſepoſitis omnibus privatis affectib9,
 ſolùm

ſolùm Deum præ oculis habentes, Sanctæ Romanæ, & univerſali Eccleſiæ de Paſtore ſufficienti, & idoneo providere, omni quâ poſſunt brevitate, & diligentia curent, ad Apoſtolicarum conſtitutionum, & ſacrorum Conciliorum præſcriptum. Re divina peracta, clericus cæremoniarum capit Crucem Papalem, & procedit, quem Cardinales ſequuntur, Epiſcopi primùm, deinde Presbyteri, poſtremò Diaconi cum ſuis cappis violaceis: Crucem præcedunt familiares Cardinalium, & immediatè cantores (Hymnum, Veni creator Spiritus cantantes) poſt Cardinales ſequuntur Prælati, atque ita proceſſionaliter procedentes, conclave ingrediuntur, & cùm ad capellam pervenerint, Cardinalium Decanus apud Altare dicit orationem. (Deus qui corda fidelium) qua finita leguntur, & jurantur per Cardinales conſtitutiones de Romani Pontificis electione, & unà cum eis conſtitutio noviſſima Greg. XV. Deinde Cardinales poſt ſermonem habitum per Decanum, quo eos convenientibus verbis ad electionis negocium ritè, &

recte

Digitized by Google

rectè peragendum hortatur, ad cellas ſorte inter eos juxta conſtitutionem Pii IV. diſtributas, divertunt; & poſt prandium omnes rurſus ſimul congregantur,& officiales conclavis,& alii præſtant Sacro Collegio juramenta conſueta. Cardinales autem ingreſſi conclave non exeant, veſpere reverſuri, ſed in ipſo omninò permaneant. Ipſumq; conclave, poſt ter juſſu Cardinalis Decani perſonatam campanulam, videlicet prima vice circa primam horam noctis, ſecunda circa ſecundam, & tertia circa tertiam, excluſis omnibus, qui in conclavi remanere non debent, intus, & extra claudatur, & claves S. R. E. Camerario, ac Magiſtro cæremoniarum, & Prælatis cuſtodibus conclavis juxta ſolitum aſſignentur. Deinde accenſis funalibus, tres Cardinales capita ordinum, & Camerarius, unà cum Magiſtro cæremoniarum latebras, & angulos omnes conclavis diligenter perquirunt, ne quis ex iis, qui eſſe in Conclavi prohibentur, intus remanſerit. In Conclavi autem eſſe poſſunt familiares Cardinalium, & alii officiales,

Digitized by Google

& miniſtri conclavis, qui in conſtitutione Pii IV. recenſentur, quibus adduntur duo alii, unus famulus pro Magiſtris cæremoniarum, & alius pro Secretario ſacri Collegii, hac tamen conditione adjecta, ut famulus Magiſtrorum cæremoniarum, actu uni ex illis inſerviat, & per ſex menſes ante, fuerit ejus continuus commenſalis, quæ conditio in famulo Secretarii ſimiliter exigitur, omnium autem iſtorum conclaviſtarum, poſt prandium diei ſequentis, fit recognitio, ne quis inter illos fortè eſſet ex iis, qui in conclavi eſſe non poſſunt, quæ recognitio, ut certiùs fiat, jubentur conclaviſtæ omnes intrare capellam, & poſtea ſigillatim recenſentur. Clauſo conclavi, ſervari debent omnia, quæ de colloquiis literis, & cibis, & quæ de non ingredientibus Cardinalibus, aut iiſdem, aut eorum familiaribus poſtquam ingreſſi ſunt exeuntibus, in conſtitutione Pii IV. ſancita ſunt. Quod verò attinet ad veſtes, non ſolùm cùm ad electionem Cardinales procedunt, croceis uti debent, ſed juxta vetus Cæremoniale, cùm aliquid collegialiter agen-

gendum eſt. Porrò capitula, quæ ante electionem fieri ſolent à ſingulis Cardinalib9 ſubſcribenda, etiam ad favorem conclaviſtarum fieri poterunt, vel ante ingreſſum conclavis, vel poſt ingreſſum, dummodo per ea non retardetur, aut differatur ingreſſus, vel electio. Quoniam autem juxta conſtitutionem Pii IV. Cardinales, qui ſaltem in ordine Diaconat9 conſtituti non ſunt, ad electionem Romani Pontificis non admittuntur, inſpiciendum erit antequàm ad electionis negocium procedatur, an aliqui ex Cardinalibus præſentibus ordine prædicto careant, nam ſi careant, à ſuffragio ferendo excludendi erunt, niſi privilegio pontificio muniti ſint. De Cardinali autem, cui ante mortem Pontificis, os fuit clauſum, aliquando dubitatum eſt, verùm à Pio V. fuit hæc dubitatio ſopita per ejus decretum editum 26. Januarii 1571. quo declaravit hujusmodi oris clauſuram, cæremoniam quandam eſſe, ea de cauſa introductam, ut Cardinales, antequam in conſiſtoriis, & congregationibus ſuffragium ferant, de modeſtia, quæ ab ipſis in his, &

Digitized by Google

aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur, non autem pertinere ad præcipuam Cardinalium facultatem, quæ circa ſummi Pontificis electionem verſatur, quæ declaratio Pii V. ſemper hucusq; obſervata fuit. Quoniam autem ex Gregoriana conſtitutione, ad actum electionis ſub pœna nullitatis devenire non posſunt Patres, niſi clauſo conclavi: tres Cardinales, & Camerarius ejusdem conſtitutionis executores deputati providebunt, ut ſtatim poſt clauſum conclave, diligens per aliquos fiat inquiſitio ſuper ipſa clauſura, eaque in effectu reperta, curabunt, ut de ea publicum fiat documentum per Magiſtrum cæremoniarum rogãdum, & poſt hujusmodi documentum; etiam ſi conclave in totum, vel pro parte de facto apertum fuiſſe reperiatur, ſemper tamen clauſum, & pro clauſo cenſeri, & haberi debet ad effectum validitatis electionis, donec de conſenſu duarum partium Cardinalium præſentium, per ſecreta ſuffragia apertum eſſe declaretur. Hæc tamen declaratio, electioni, quæ ante ipſam facta fuerit,

Digitized by Google

rit, nullatenus præjudicare debet; neque ob ipſam declarationem, præcedens electio impugnari poteſt. Manè ſequenti poſt clauſum præcedenti nocte conclave, poſt ſolitum campanulæ ſonum, conveniunt Cardinales in eo præſentes, qui infirmitate non ſunt impediti, ad Capellam Paulinam, & ibi celebrata cõſueta Miſſa, & facta Cardinal: cōmunione, ſtatim ad negotium electionis procedere debent, quod quidem hodie ex Gregor. conſtitutione, uno tantum ex tribus modis, ſive formis peragẽdum eſt, alioquin electio, nullitatis vitio ſubjacet; Primus modus eſt, qui quaſi per inſpirationem vocatur, quando ſcilicet omnes Cardinales, quaſi afflati Spiritu Sancto, aliquem unanimiter, & viva voce Summum Pontificem proclamant; circa quem modum, ex conſtitutione Gregoriana, infraſcripta notari poſſunt. Primùm, hæc forma electionis practicari poteſt ſolùm in conclavi, & eo clauſo. Secundò, debet fieri electio ſecundùm hãc formam ab omnibus, & ſingulis Cardinalibus in conclavi præſentibus. Tertiò, communiter,

Digitized by Google

niter, & nemine eorum diſſentiente. Quartò, nullo præcedente de perſona ſpeciali tractatu, & per verbum (eligo) intelligibili voce prolatum, aut ſcripto expreſſum, ſi voce non poſſit proferri, exemplum autem hujus, poteſt eſſe hujusmodi. Si aliquis patrum, clauſo conclavi, nullo, ut præfertur præcedente ſpeciali tractatu, diceret, Reverendiſſimi Domini perſpecta ſingulari virtute, & probitate Reverendiſſimi D. N. judicarem illum eligendum eſſe in Summum Pontificem, & ex nunc ego ipſum eligo in Papam. Deinde hoc audito, ſi cæteri Patres nemine excepto, ſequentes primi ſententiam, eodem verbo (eligo) intelligibili voce prolato, aut ſi non poteſt, in ſcriptis expreſſo, eundem N. de quo nullus ſpecialis tractatus præceſſit, communiter eligerent, ipſe N. eſſet canonicè electus, & verus Papa ſecundùm hanc electionis formam, quæ dicitur per inſpirationē, ſeu, ut in Sacris Canonibus ſcriptum eſt, quaſi per inſpirationem. Secundus modus, eſt per compromiſſum, quando ſcilicet Cardinales ad electionem per hāc formam,

mam,ſeu viam procedere volentes, committerent aliquibus ex patribus eligendi poteſtatem,ut vice omnium,Eccleſiæ Catholicæ provideant de Paſtore, cujus formæ praxis poteſt eſſe hujusmodi. Primò omnes, & ſinguli Cardinales in conclavi clauſo præſentes, nemine eorum diſſentiente, in aliquos ex Patribus compromiſſum faciunt exempli gratia in hanc formã. In nomine Domini amen. Anno ab ejusdem &c. menſe &c, die &c. Nos Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi S. R. E, Cardinales omnes, & ſinguli in conclavi exiſtentes, videlicet N. N. (& ſigillatim omnes nominentur Cardinales) elegimus, & eligimus per viam procedere compromiſſi, & unanimiter, & concorditer, nemine diſcrepante, elegimus compromiſſarios N.N, & N, Cardinales, &c. quibus damus plenariam facultatem, & poteſtatem providendi S. R. E. de Paſtore, ſub hac forma videlicet (Hic optimum erit, ut Cardinales compromittentes exprimant modum, & formam, ſecundùm quam compromiſſarii debebunt eligere, & ſecundum quam

ele-

electus debet cenſeri verus, & legitimus Papa, ut puta, ſi electi ſint tres compromiſſarii, declarandum eſt, an ad hoc, ut electio ſit valida, prius proponere debeant ſacro Collegio perſonam, vel perſonas ab ipſis nominandam, ſeu nominandas ad Pontificatum, an verò abſolutè debeant electionem peragere; an omnes tres debeant convenire in unam perſonam, an verò ſufficiat, quòd duo in unam concordent, & an debeant nominare aliquem de Collegio, vel etiam aliquem extra Collegium, & alia his ſimilia.) His autem, vel aliis ſimilibus expreſſis, addi compromiſſo ſolet tempus, ad quod usque volunt Cardinales, poteſtatem compromiſſarios habere eligendi; & poſtea ſubjunguntur hæc verba. Et promittimus nos illum pro Romano Pontifice habituros, quem D.D. compromiſſarii ſecundùm formam prædictam duxerint eligẽdum, vel alia ad formam compromiſſariis præſcriptam accommodata. Secundò, completo hujusmodi mandato, compromiſſarii ad partem in aliquo loco ſeparato ſe conferunt;

Digitized by Google

& de electione facienda tractant, & ſolet inter eos præmitti proteſtatio, quòd per quamcunque prolationem verborum, ſuum dare conſenſum non intelligunt, niſi in ſcriptis illum expreſſè ponant. Et hæc proteſtatio videtur neceſſaria inter compromiſſarios, ut verbis humanis, & reverentialibùs inter ſe, ſine præjudicio uti poſſint. Tertiò, facta per compromiſſarios electione ſecundum formam eis præſcriptam, & ſervatis iis, quæ Gregorius XV. in ſua conſtitutione juſſit, electus per hujusmodi viam compromiſſi, eſt canonicus, & verus Papa. Tertius modus, ſeu forma electionis Rom. Pontif. eſt, quæ vocatur per Scrutinium, vel per Scrutinium, & Acceſſum, cujus formæ ritus ſecundum Gregorianam Conſtitutionem, quæ vult non ſolum Scrutinium fieri ſecretum, ſed etiam acceſſum, continet tres actiones, alteram, quæ anteſcrutinium, alteram, quæ ſcrutinium, & tertiam, quæ poſtſcrutinium appellari poteſt. Anteſcrutinii actus ſunt quinque, videlicet Præparatio ſchedularum Scrutinii, & Acceſſus; Extractio

Scru-

Digitized by Google

Scrutatorum, & deputatorum pro votis infirmorum per ſortem; Scriptio ſchedularum ſcrutinii; Earum complicatio, & obſignatio. Schedularum præparatio ad Magiſtros cæremoniarum pertinet, qui eas impreſſas, ubi fieri poterit, alioquin unius manuſcriptas ſecundum formam inferius deſcribendam accipient, tàm pro Scrutinio, quàm pro Acceſſu, & ponent in duobus diſcis vulgò (bacili) nuncupatis, quos in menſa ante Altare collocabunt, ut inde poſſint Cardinales, cum opus fuerit, ſchedulas ſumère. Forma autem ſchedulæ Scrutinii quòad ejus figuram attinet, erit altera parte longior, hoc eſt plus longa, quàm lata; longitudo ejus, erit ferè palmi, latitudo autem dimidii palmi; Quo verò ad contenta in ea, in anteriori ejus parte, quæ brevitatis gratia facies nominari poteſt, tria continere debet; Primò in ſuperiori parte ſecundùm ejus latitudinem, duo hæc verba (Ego Card.) cum tanta ab invicem diſtantia, ut inter ipſa, nomen proprium Cardinalis eligentis ſcribi poſſit, & pau-

& paulò inferiùs duos circulos parvos, ad loca ſigillorum indicanda. Secundò, in medio continere debet hæc verba. Eligo in Summum Pontificem Reverendiſs. D. meum D. Cardinalem. Tertiò, in parte inferiori, alios duos parvos circulos, ad loca ſigillorum ſimiliter demonſtranda. Forma verò Schedulæ acceſſus, eadem prorſus eſt, quæ ſcrutinii, niſi, quòd in medio ejus, loco verborum (Eligo in Summum Pontificem Reverendiſs. D. meum D. Card.) ponuntur hæc verba (Accedo Reverendiſs. D. meo D. Cardinali) verùm faciliùs, quæ dicta ſunt, percipientur ex infraſcriptis figuris, & exemplis.

Exem-

Exempl: faciei Schedulæ Scrutinii.

Ego Card.

Eligo in Summum Pontificem Reverendiſs. D. meum D. Cardin.

18. Gloria in excelſis.

Exempl: faciei Schedulæ Accesſus.

Ego Card.

Accedo Reverendiſs. D. meo
D. Cardin.

In exteriori autem parte ſchedularum tam Scrutinii, quàm Acceſſus, quæ tergum nominari poteſt, duo ſunt imprimendi limbi ex illis, quos ad ornatum librorum impreſſores adhibent, & vulgari vocabulo, *fregi*, nuncupant, quorum primum circa ſui medium continet hoc verbum, *Nomen*, impreſſum ſecundùm longitudinem ipſius limbi; alterum verò continet hoc verbum, *Signa*, ſimiliter impreſſum, ut præcedens. Hi autem limbi excogitati ad obſcurandum diaphanum paginarum, ne ſcilicet ad lumen, nomina, & ſigna eligentium conſpici poſſint; ubi verò impreſſoris copia non fuerit, limborum defectus, lineis ſuppleri poterit; Sed hæc fient clariora per infrapoſitam figuram tergi ſchedularum Scrutinii, & Acceſſus.

Exem-

Digitized by Google

Exemplum tergi Schedularum Scrutinii, & Acceſſus.

nomen

ſigna

Digitized by Google

Secundus actus anteſcrutinii, eſt extractio Scrutatorum, & deputatorum pro votis infirmorum, quæ extractio antequàm ad ſcrutinium procedatur, ſorte facienda eſt, hoc modo. In uno ſacculo, aut vaſe, publicè ponantur tot ſchedæ, vel ſi magis placet ſpherulæ ligneæ palàm numeratæ, quot ſunt Cardinales præſentes in Conclavi, cum eorum nominibus: deinde per ultimum Diaconum extrahantur primò Scrutatores tres, & poſtea tres Deputati pro votis infirmorum, qui brevitatis gratia Infirmarii appellari poſſunt, de quorum omnium officio inferiùs ſuo loco ſcribetur, quòd ſi in extractione Scrutatorum, & Infirmariorum, ac etiam Recognitorum, de quibus ſuo loco dicetur, extracti fuerint Cardinales, qui ob infirmitatem, aliudve impedimentum muneribus prædictis ſatisfacere non poſſint, alii non impediti, loco illorum extrahantur; Peracta verò extractione, ſchedæ, ſeu ſpherulæ eorum, qui extracti fuerunt, in ſacculum, ſeu in vas iterum conjiciantur. Tertius actus anteſcrutinii, eſt ſchedula-

Digitized by Google

dularum Scrutinii ſcriptio, quæ fiet hoc modo. Ad duas, vel plures parvas menſas, quæ erunt cùm atramento, & calamis paratæ in loco capellæ apto, ut qui ſcribunt conſpici poſſint, quid verò ſcribitur, non poſſit, accedent Cardinales per ordinem, incipiendo à Decano, & ibi ſedentes in ſcabellis paratis, ſchedulam quisque ſuam acceptam priùs ex diſco, ſcribet hoc modo. Primò in prima parte in ſpatio inter verba (Ego Card.) ſcribet proprium nomen; deinde in ſecunda parte, nomen illius, quem eligit, charactere tamen, quantùm fieri poteſt alterato, ut manus ſcribentis cognoſci non posſit; & caveat, ne plures in ſchedula ſcribat, quia ſuffragium juxta Gregorianam conſtitutionem eſſet nullum. In tertia verò parte ſigna, hoc eſt numerum aliquem, & dictum aliquod ſcripturæ, ſeu verbum, aut aliquid hujusmodi, ut in exemplo pro faciliori intelligentia oculis ſubjecto, videre eſt.

Digitized by Google

Exempl: Schedulæ Scrutinii ſcriptæ.

Ego Bonifacius Card.
Caetanus

Eligo in Summum Pontificem Rever:
D. meum D. Cardin. Baronium

18. Gloria in excelſis.

Quartus actus anteſcrutinii, eſt ſchedularum complicatio, quæ ut expeditius peragi à Card. valeat, poterit à Cæremoniariis Magiſtris, cum eas præparant, fieri in hunc, qui ſequitur modum. Binæ fient plicaturæ, ex utraque parte cujusque ſchedulæ, ita ut nomen eligentis, & ſigna cum fuerint ſcripta, maneant recta ex utraque parte à limbis; deinde quod reliquum eſt ita complicetur, ut ſchedula ferè ad latitudinem pollicis redigatur, prout ex complicata ſchedula, quæ hic exempli gratia ponitur, conſpici poteſt.

Cæterum Magiſtri cæremoniarum ſchedulas, non complicatas, ut ſupra, ſed explicatas, & cum cera rubra in parvis circulis, ponent in diſcis; & Cardinales poſtquam eas, ut ſupra ſcripſerint, eò usq; ſolùm plicabunt, quò nomen, & ſigna eligentis tegantur, reliquas autem plicaturas tunc facient, cum ſchedulas, ut infra dicetur, obſignaverit.

Quintus, & poſtremus actus anteſcrutinii, eſt ſchedularum obſignatio, quæ ab unoquoque Cardinali facienda erit inter-

go ſchedularum cum ſigillo ad hoc parato, in loco parvorum circulorum ubi cera fuerit poſita. Porrò ſigillum non debet eſſe ſolitum Cardinalis, ſed aliud, & ſecretè habitum, & ita ſimplex, ut facilè notari poſſit, veluti, ſi in ſigillo ſculpantur, aut tres numeri, aut tres literæ, vel literæ, & numeri, vel una tantùm imago, & hæc de ante-ſcrutinio ſufficiant; Cæterùm, quod attinet ad Cardinales infirmos, aut aliter impeditos, inferiùs ſuo loco dicetur. Sequitur ſecunda actio, quæ nomine Scrutinii appellata fuit. Octo ſunt hujus actionis actus, videlicet, Delatio ſchedulæ, Juramenti præſtatio, Poſitio ſchedulæ in Calicem, Schedularum mixtio, Earum numeratio, Scrutinii publicatio, Schedularum in filum inſertio, Earumq; depoſitio ſeorſum. Delatio ſchedulæ, & duo ſequentes actus, qui meliùs ſimul deſcribuntur ob eorum connexitatem; hoc modo fient. Quilibet Cardinalis propriam ſchedulam poſtquam illam ſcripſerit, obſignaverit, & complicaverit, duobus primis digitis ſumet, ac elevata manu palàm deferet ad Al-

tare,

Digitized by Google

tare, penes quod ſtant Scrutatores, & in quo eſt calix magnus ad recipiendas ſchedulas paratus, & paterna coopertus, ibiq; genuflectens, aliquantulum orabit; deinde ſurgens alta, & intelligibili voce, jurabit in hanc formam, quæ in tabella ſuper Altari poſita deſcripta habetur: *Teſtor Chriſtum Dominum, qui me judicaturus eſt, me eligere, quem ſecundum Deum judico eligi debere, & quod idem in Acceſſu præſtabo.* Poſt hæc ſchedulam in patenam ponet, & per patenam mittet in calicem, quo facto inclinabit ſe ad Altare, & ad ſuum locum revertetur. Et hæc ſervanda erunt, ſi Cardinalis ad Altare pergere poſſit; nam ſi ob infirmam valetudinem non poſſit, & præſens in capella ſit, ultimo Scrutator diſcum cum ſchedulis ad eum deferet, ex quo Cardinalis infirmus, unam accipiens, eam in loco ſuo ſecretè, ut ſupra dictum eſt, conficiet; deinde prævio juramento prædicto ſchedulam obſignatam, & complicatam, eidem Scrutatori tradet, qui eam palàm deferet, ad Altare & ſine oratione, & juramento in patenam

ponet,& per eam in calicem mittet; quæ omnia obſervāda erūt per ultimum Scrutatorem erga eos Cardinales, qui in capella præſentes ob valetudinē ad Altare pergere non poterunt. Si verò aliqui Cardinales infirmi ſint in ſuis cellis, tres Card. Infirmarii, ut ſupra extracti, ad eos accedent cum capſula altitudine unius palmi, in cujus ſuperiori parte ſit rima, ſeu foramen, ejus magnitudinis, ut per illud ſchedula cōplicata poſſit per ſuam latitudinem intus capſulam transmitti; quam capſulam, antequam Scrutatores Infirmariis tradant, palàm aperiēt, ut cæteri Cardinales poſſint eam inanem, & vacuam conſpicere, deinde claudent, & clavem ponent ſuper Altare; deinde Infirmarii cum capſulà clauſa, & cum parvo diſco tot ſchedulas continente, quot ſunt infirmi Card. ad unumquemque eorum accedent; & infirmi acceptas ex diſco ſchedulas, ſecretè ſcribent, obſignabunt, complicabunt, & prævio jam dicto juramento, in capſulam per rimam mittent; quòd ſi infirmi, ſcribere non poſſint, alii eorum arbitrio deligendi,

di, præſtito de ſecreto ſervando in manibus infirmariorum juramento, prædicta facient, atque hi advertere debent, quod non ſolum juramenti vinculo tenẽtur ſervare ſecretum, ſed etiam in excomunicationem latæ ſententiæ, ſi contrafecerint, incurrent. His peractis, infirmarii ad capellam revertentur cum capſula, quam ſcrutatores aperient, & ſchedulas in ea cõtentas, palàm numerabunt, & tot repertas, quot ſunt infirmi, ponent ſingillatim in patenam, & per patenam ſimul omnes in calicem. Nè autem nimis in longum protrahatur Scrutinii actio, Infirmarii poterunt proprias ſchedulas poſt Decanum conficere, & in calicem ponere, deinde dum cæteri Cardinales ſcrutinium agunt, ad infirmos pergere ad accipienda eorum ſuffragia eo modo, quo proximè ante dictum eſt. Quartus actus Scrutinii, eſt ſchedularum permixtio, quæ fiet per primum ſcrutatorem, calice in quo ipſæ ſchedulæ poſitæ fuerunt, patena cooperto pluries agitato. Quintus actus, eſt numeratio ſchedularum, quæ palàm fiet per ultimum

ſcru-

Digitized by Google

ſcrutatorem capiendo ſingillatim unamquamque ſchedulam ex calice, eamq; ponendo in alium, qui ad hoc paratus ſit, calicem vacuum. Quod ſi numerus ſchedularum, non reſpondeat numero Card. omnes comburendæ ſunt, & iterum, id eſt ſecunda vice, ad ſuffragia ſtatim eſt deveniendum. Si verò numerus ſchedularum, numero Card. reſpondeat, proſequendi ſunt alii actus Scrutinii. Sextus actus, eſt publicatio Scrutinii, quæ per Scrutatores, qui ſedent ad menſam ante Altare poſitam, fiet hoc modo: Primus Scrutator accipiet unam Schedulam, eamque intactis ſigillis explicabit, & viſo in ea ſchedula electi nomine, eam tradet ſecundo Scrutatori, qui pariter, eodem electi nomine perſpecto, eandem tradet tertio, qui illam alta, & intelligibili voce perleget, ut omnes Cardinales præſentes notare poſſint ſuffragium in folio impreſſo, quod penes ſe habebunt cum nominibus omnium Card. notabit a, juxta nomen Card. ex ſchedula recitati: Idem faciendum erit de cæteris ſchedulis in calice poſitis, usque
ad

Digitized by Google

ad ultimam; Quòd ſi in Scrutinii publicatione, inveniant Scrutatores duas ſchedulas ita complicatas, ut ab uno tantùm datas fuiſſe appareat, ſiquidem unus, & idem in utraque electus fuerit, ſchedulæ prædictæ habebuntur, & notabuntur pro uno ſuffragio; ſi verò diverſi fuerint nominati, neutrum ſuffragium validum erit, prout in Bulla Gregoriana ſtatuitur de illa ſchedula, in qua plures nominati ſunt Scrutinium tamen neutro caſu vitiatur. Cæterum ſuffragia prædicta, finita ſcrutinii publicatione, poterunt à Patribus juxta nomina Cardinalium, qui ea obtinuerunt, in unam ſummam redigi, vel in ſeparato folio notari, hoc modo. Reverendiſs. D. Cardinalis A. habet ſuffragia 20. & Reverendiſs. D. Cardinalis B. habet ſuffragia 15. & ſic de aliis; quod fit, ne Cardinales cùm opus eſt cogantur ſemper numerare ſuffragia, quæ juxta nomina Card. notarunt. Septimus actus Scrutinii, eſt ſchedularum in filum inſertio, quæ, ut ſchedulæ ipſæ cautius conſervari poſſint, excogitata fuit. Hæc autem inſertio fieri per ultimum Scrutatorem

rem

Digitized by Google

rem; inſerendo ſchedulam unamquamq; poſtquam eam perlegerit, acu cum filo ad hunc effectum parato, in loco, ubi eſt verbum, Eligo. Octavus, & poſtremus Scrutinii actus, eſt depoſitio ſchedularum ſeorſum, quæ ſimiliter fiet per ultimum Scrutatorem, qui finita inſertione omnium ſchedularum in filum, capita fili nodo junget, & ſchedulas omnes ita colligatas, in alium calicem vacuum, vel in menſa ſeorſum ponet. Sequitur tertia, & poſtrema actio, quæ Poſtſcrutinium appellata fuit, cujus actus, ſi ſecuta ſit electio per ſcrutinium, tres tantùm ſunt, videlicet, Numeratio ſchedularum, Recognitio ſuffragiorũ, Et ſchedularum combuſtio, de quibus inferiùs ſuis locis dicetur. Si verò per Scrutinium non ſit ſecuta electio, actus ſunt ſeptem videlicet; Acceſſus; Sigillorum, & ſignorum aperitio; Eorum annotatio; Suffragiorum examen; Suffragiorum ſcrutinii, vel ſcrutinii, & acceſſus numeratio; Eorum recognitio; & ſchedularum combuſtio. Primus itaque actus, eſt Acceſſus, qui immediatè poſt ſcrutinium, hoc

Digitized by Google

hoc eſt, poſt depoſitas ſeorſum ſcrutinii ſchedulas fiet niſi forte in ſcrutinio fuerit creatus Papa; tunc enim nullus fieri debet acceſſus; In quo quidem acceſſu eadem omnia ſervanda ſunt à Cardinalibus, quæ dicta ſunt ſervari debere in ſcrutinio peragendo tam in ſchedularum ſcriptione, obſignatone, complicatione, delatione, & poſitione in calicem, quàm in earum numeratione publicatione, notatione ſuffragiorum, & inſertione in filum, ac depoſitione ſeorſum; exceptis tamen infraſcriptis. Primò, quod Cardinales, ſchedulas pro acceſſu, ſumere debent ex diſco ſchedularum acceſſus; Secundò in Schedularum acceſſus ſcriptione ſi Cardinalis nemini velit accedere, debet in media ſchedulæ parte, loco nominis Cardinalis, qui ſcribendus eſſet, ſi ad eum fieret acceſſus, ſcribere, Nemini, Schedula autem acceſſus ſcribi, & obſignari debet cum eiſdem ſigillis, & ſignis ſchedulæ ſcrutinii, ſub pœna nullitatis ſuffragii ipſius acceſſus; Tertiò, quòd non poteſt acceſſus fieri ad eum Cardinalem, qui in Scrutinio ſaltem

unum

unum ſuffragium non obtinuerit, neque ad eum, qui ab ipſomet Cardinali fuit in ſcrutinio nominatus; Quartò, quamvis in acceſſu non liceat plures nominare, ſicut non licet in ſcrutinio plures eligere, ſub pœna nullitatis ſuffragii, tam in acceſſu, quàm in ſcrutinio; nihilominus licebit accedere uni ex pluribus nulliter à ſe nominatis in ſcrutinio, dummodo ei ab alio aliquod ſuffragium, non tamen nulliter, ut præfertur, in ipſo ſcrutinio datum fuerit. Quintò, quòd in acceſſu non præſtatur juramentum, de quo ſupra, quia in Scrutinio fuit jam præſtitum per illa verba: (Et quod idem in acceſſu præſtabo) Sextò, denique Infirmarii deferre debent ad infirmos ſchedulas acceſſus, & ſimul etiam unum folium impreſſum, in quo ſit notat9 ſuffragiorum numerus palam recognitus, quæ quisque Card. in ſcrutinio nominat9 obtinuerit. Secundus, tertius, & quartus actus poſt ſcrutinii ſunt Sigillorum, & Signorum aperitio, Eorum annotatio, Suffragiorum examen, qui tunc ſolùm locum habere poſſunt, quando ſecuta eſt electio

per

per ſcrutinium, & acccceſſum : fieri autem debent hoc modo. Primus Scrutator ſchedulas acceſſuum, quos obtinuit electus, in ea parte ſolùm, quæ ſigna continet, aperiet, & inſpectis diligenter earum ſigillis, & ſignis, apertas, ac in filo, ut erant inſertas, tradet ſecundo Scrutatori, & ſecundus, eadem inſpectione facta, porriget tertio, qui alta, & intelligibili voce, ſigilla, & ſigna prædictarum ſchedularum enunciabit, & annotabit in latere ſiniſtro folii impreſſi, ad hunc effectum parati, ſub verbis, (Sigilla, & ſigna acceſſuum) quam etiam annotationem facient cæteri Cardinales, ſi voluerint, in ſimili folio impreſſo. Deinde primus Scrutator, reliquis Scrutatoribus inſpicientibus, pro acceſſuum prædictorum examine capiet ſchedulas ſcrutinii, & incipiens ab uno capite fili, in quo inſertæ ſunt, ſigillum primæ ejus ſchedulæ quæret in ſigillis acceſſuum notatis, ut ſupra in folio impreſſo, & ſi illud in eo non invenerit, omiſſa prima ſcrutinii ſchedula, capiet ſecundam, ejuſque ſigillum ſimiliter quæret; quod ſi etiam non invenerit; capiet

tertiam, & deinde ſequentes ſingillatim, donec ſigillum alicujus earum inveniat; eoque invento, ſcrutinii ſchedulam in ea parte, ubi ſigna ſunt, aperiet, & ſi non invenerit ſigna hujus ſchedulæ concordare cum ſignis acceſſus, ſchedulam illam omittet, & aliã capiet ſicut paulò ante de ſchedulis non concordantib9 in ſigillo dictum eſt; ſi verò invenerit ſigna concordare, oſtendet illa ſecundo, & tertio Scrutatoribus, qui unà cum ipſis, poſt diligens examen ſuper identitate ſigillorum, & ſignorum ambarum ſchedularum, ſcrutinii, ſcilicet, & acceſſus, inſpiciet, an idem, vel diverſi in utraque ſchedula ſint nominati; & ſi idem nominatus ſit, ſuffragium acceſſus, nullum cenſebitur, ſi verò diverſi nominati ſint, ſuffragium acceſſus, pro valido habebitur, & hoc caſu, tertius Scrutator ſigillũ, & ſigna ſchedulæ ſcrutinii, ac etiam nomen electi, qui in ea continetur, alta, & intelligibili voce enunciabit, & annotabit in latere dextero prædicti folii impreſſi, ſub verbis (Sigilla, & ſigna ſcrutinii reſpondentia acceſſibus) notabit autem ea,

ex

Digitized by Google

ex adverſo acceſſus concordantis in ſigillo, & ſignis; quam annotationem cæteri quoque Card. ſi voluerint, in ſimili folio impreſſo facient. Sed hujusmodi actus, qui explicatione difficiliores ſunt, quàm operatione, exemplo meliùs percipiētur.

Exemplum folii impreſſi, in quo Acceſſus, & Scrutinii, Sigilla, ac Signa concordantia annotantur.

Sigilla, & Signa Acceſſuum.

A C D. 43. Deus.
B R F. 32. Bonitas.
R G I. 50. Beatitudo.
N S P. 26. Gloria.

Sigilla, & Signa Scrutinii Acceſſibus reſpondentia.

B R F. 32. Bonitas.
R G I. 50. Beatitudo.

Cardinales nominati in Scrutinio.

Card. S. Euſebii.
Card. S. Sixti.

Quòd ſi fortaſſe in iſta inquiſitione contingat duas, vel plures ſchedulas ſcrutinii,

Digitized by Google

reperiri cum eisdem ſigillis, & ſignis alicujus ſchedulæ acceſſus, tunc ſi in earum aliqua, electus nominatus fuerit, in alia verò alius, primus Scrutator reliquis ſcrutatoribus ſimiliter inſpicientibus, ſcrutinii ſchedulas hujusmodi, & ſchedulam acceſſus, in ea etiam parte, in qua eſt nomen eligentis, & accedentis, aperiet, ut conſtare poſſit ſecundùm Gregorianam Conſtitutionem de validitate, vel invaliditate acceſſus; ſi verò in aliqua hujusmodi ſchedularum ſcrutinii concordãtium cum acceſſu, non ſit nominatus electus, debent eæ ſchedulæ omitti, & ad ſubſequentes procedendum erit. Quintus actus poſt ſcrutinii, eſt numeratio ſuffragiorum, vel ſcrutinii ſolius, vel ſcrutinii, & acceſſus, quæ fiet per Scrutatores ſemper, ſive ſecuta ſit electio, ſive non, & ſi quidem ſecuta non ſit electio, ut ſciatur, quòd in eo ſcrutinio, vel ſcrutinio, & acceſſu, non habetur Papa; ſi verò ſecuta ſit, ut conſtet de canonica Pontificis electione; fiet autem hæc numeratio ſuffragiorum hoc modo. Scrutatores in unam ſummam redigent ſuffragia, quæ quilibet

libet nominatus in Pontificem obtinuit, ſive in ſcrutinio ſolo, ſive in ſcrutinio, & acceſſu ſimul; & ſi invenerint nullum ex nominatis ad duas tertias partes ſuffragiorum perveniſſe non habetur Papa in illo ſcrutinio, ſive ſcrutinio, & acceſſu; Si verò invenerint aliquem ex nominatis, duas tantùm partes ſuffragiorum obtinuiſſe, aperient electi ſchedulam, etiam in ea parte, in qua eſt nomen eligentis; & ſi quidem ex ea apparuerit, electum allii ſuffragatum fuiſſe, electio ejus erit canonica; ſi verò conſtiterit ſibi ſuffragium dediſſe, ejus electio ex diſpoſitione Gregorianæ Conſtitutionis nulla erit ob defectum unius ſuffragii. Si denique plures invenerint duas tertias partes ſuffragiorum obtinuiſſe, vel etiam ultra duas tertias tunc in ſuffragiorum paritate, nullus erit electus, in imparitate verò, ille eſt canonicus Papa, qui ſuperat alium, etiam in uno ſuffragio. Sextus actus poſtſcrutinii, eſt Recognitio, quæ per Recognitores, ſive ſecuta ſit electio, ſive non, fiet; inſpiciendo tam ſchedulas ſcrutinii, & acceſſus, quàm ſuffragiorum anno-

Digitized by Google

annotationes factas per Scrutatores, ut per hujusmodi recognitionem conſtare poſſit, an Scrutatores ſincerè, & fideliter muneri ſuo ſatisfecerint: Recognitores autem extrahentur ſorte, ut Scrutatores, & Infirmarii, ſtatim quidem poſt ſcrutinium, ſi ſecuta ſit in eo electio; ſi verò non ſit ſecuta, poſt ſcrutinium, & acceſſum, cùm ſcilicet Scrutatores ſuum impleverint munus per numerationem ſuffragiorum, & hæc extractio fiet, ſive ſecuta ſit electio in ſcrutinio, & acceſſu, ſive non. Septimus, & poſtremus actus poſt ſcrutinii, eſt combuſtio omnium ſchedularum, quæ ſemper, & palàm per Scrutatores fiet, ac ſtatim poſt recognitionem, ſive electio ſit ſecuta, ſive non. Et hæc omnia, quæ de ſcrutinii ritibus ſunt expoſita, ſervanda erunt diligenter à Cardinalibus in omnibus ſcrutiniis, ſive fiant manè poſt Miſſam, ſive veſpere poſt Hymnum (Veni Creator Spiritus) Atq; hi ſunt Ritus ex præſcripto conſtitutionis Gregorii Papæ XV. in electione Romani Pontificis obſervandi. Motu itaq; proprio, & ex certa ſcientia noſtra ac de

Apo-

Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula in prædicto Cæremoniali ordinata, & quomodolibet contenta; tenore præſentium perpetuò approbamus, & cõfirmamus; illisque omnibus, & ſingulis, perpetuæ, & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus; eaque à Ven. Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus omnibusque & ſingulis aliis, ad quos ſpectat, & ſpectare quomodolibet poterit in futurum, omninò obſervari præcipimus & mandamus; ac Cæremoniale hujusmodi, in totum, vel in parte mutari, vel ei aliquid addi prohibemus. Decernentes ſic, & non aliter per quoscunque, ac eosdem ad eosdem S. R. E. Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & diffiniri debere. Non obſtantibus omnibus illis, quæ in primo dicta Conſtitutione voluimus non obſtare, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, adjectionis, præcepti, mandati, prohibi-

Digitized by Google

hibitionis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, quarto Id9 Martii, Pontificatus noſtri Anno II. Nos qui ut rei tam arduæ negocium ritè, & rectè procederet, & abſolveretur intentis ſtudiis deſideravimus, cum primum (nullis licet ſuffragantibus meritis) ad Summi Apoſtolatus apicem aſſumpti fuimus animo revolventes quantam in omnium animis Conſtitutionis exequutio, & Cæremonialis prædictorum uſus approbationem excitarit, ut Conſtitutio, & Cæremoniale prædicta noſtra etiam Confirmatione roborata inviolabiliter ſemper obſerventur providere cupientes, ex mera animi noſtri deliberatione, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac de Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, & aſſenſu, Conſtitutionem, & Cæremoniale

præ-

Digitized by Google

prædicta cum omnibus, & ſingulis in eis, & eorum quolibet contentis clauſulis, & decretis hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione Apoſtolica auctoritate perpetuò confirmamus, & approbamus, eaque etiam perpetuò in omnibus futuris Romanorum Pontificum electionibus firmiter, & inviolabiliter obſervari præcipimus, & mandamus, ac derogationem in eadem Conſtitutione dicti Gregorii prædeceſſoris inſertam ſemper vigere, ſuamq; vim perpetuis futuris temporibus obtinere decernimus, non obſtantibus quatenus opus ſit, ea in parte, qua præſentibus adverſentur recolendæ memoriæ Alexandri Papæ III. ſimiliter prædeceſſoris noſtri in Lateranenſis, quæ incipit Licet de vitanda, & quibuscunque aliis etiam in univerſalibus Conciliis editis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & Conſuetudinibus etiam immemorabilibus, ac omnibus illis, quæ dictus Gregorius prædeceſſor in Conſtitutione, & Cæremonialis Confirmatione prædictis voluit non obſtare; quibus omnibus, etiam ſi de illis, eorumq;

 totis

Digitized by Google


totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio ad hoc ſervanda foret, omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, & inſererentur præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habẽtes, illis quoad reliqua omnia, quæ Conſtitutioni dicti Gregorii, & Cæremoniali prædictis, & huic noſtro præcepto mandato, & decreto non ſunt repugnantia in ſuo robore permanſuris harum ſerie de ſimili plenitudine poteſtatis derogamus, & derogatum eſſe volumus, & hanc noſtram derogationem ſuum pariter effectum perpetuò cõſequi jubemus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, præcepti, mandati, decreti, derogationis, voluntatis, & juſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit

rit

Digitized by Google

rit incurſurum. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto, quinto Kal. Februarii Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

✠ Ego Urbanus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.



† Ego Franciſcus Maria Epiſcopus Oſtienſis S. R. E. Card. à Monte promitto, voveo, & juro.

†

† Ego

Digitized by Google

† Ego Octavius Epiſcopus Portuenſis S.R. E. Cardinalis Bandinus promitto, voveo & juro.

† Ego Jo. Baptiſta Epiſcopus Albanenſis S.R.E. Cardinalis Detus promitto, voveo & juro.

† Ego B. Epiſcopus Sabinenſis Cardinalis Bevilaqua promitto, voveo, & juro.

† Ego A. Epiſcopus Prænestinus Cardinalis Perettus promitto, voveo, & juro.

†

†

†

† Ego Dominicus Cardinalis Gimnaſius tit. S. Laurentii in Lucina promitto, voveo, & juro.

†

† Ego C. Cardinalis Madrutius tit. S. Cæſarei promitto, voveo, & juro.

†

† Ego Scipio tit. S. Griſogoni Presbyter Cardinalis Burgheſius major Pœnitentiarius, promitto, voveo, & juro.

† Ego Jo. Garcia tit. SS. Quatuor Coronatorum Presb. Card. Millinus promitto, voveo, & juro.

Digitized by Google

† Ego Marcellus tit. SS. Quiricæ, & Julittæ Presbyter Card. Lantes promitto, voveo, & juro.

†

† Ego Jo. Baptiſta tit. S. Ceciliæ Presbyter Card. Leni9 promitto, voveo, & juro

†

† Ego D. tit. S. Martini in Montibus Card. Rivarola promitto, voveo, & juro.

†

† Ego Fr. Auguſtinus S. R. E. Presbyter Card. tit. S. Mariæ de Aracœli promitto, voveo, & juro.

† Ego Gaſpar tit. S. Crucis in Hieruſalem Presbyter Cardinalis Borgia promitto, voveo, & juro.

†

† Ego Fr. Felix tit. S. Anaſtaſiæ Presbyter Cardinalis Asculanus promitto, voveo, & juro.

†

† Ego Gabriel tit. S. Bartolomæi in Inſula Presbyter Cardinalis de Treja promitto, voveo, & juro.

†

† Ego

Digitized by Google

†

† Ego I. tit. S. Sabinæ Presbyter Cardinalis Sabellus promitto, voveo, & juro.

† Ego M. tit. S. Mariæ de Pace Cardinalis Kleſelius promitto, voveo, & juro.

† Ego S. Presbyter Cardinalis S. Suſannæ S.R.E. Bibliothècarius promitto, voveo, & juro.

†

† Ego Guido tit. de S. Mariæ de Populo Cardinalis Bentivolus promitto, voveo & juro.

†

†

† Ego Fr. Deſideriius tit. Baſilicæ SS. Duodecim Apoſtolorum Cardinalis de Cremona promitto, voveo, & juro.

† Ego L. tit. S. Laurentii in Damaſo Presbyter Cardinalis Ludoviſius S. R. E. ViceCancellarius, & Santiſs. D. N. Summator promitto, voveo, & juro.

† Ego Coſmus tit. S. Pancratii Presbyter Cardinalis de Torres promitto, voveo, & juro.

†

† Ego

Digitized by Google

†

† Ego F. A. Cardinalis S. Honufrii S. R. E. Presbyter Cardinalis promitto, voveo, & juro.

† Ego Laurentius tt. S.M. in Aquiro Presb. S. R. E. Card. Magalottus promitto, voveo, & juro.

† Ego Aloyſius tit. S. Pudentianæ Presbyter S. R. E. Cardinalis Cajetanus promitto, voveo, & juro.

† Ego Dionyſius tt. Sanctiſs. Trinitatis in Monte Pincio Cardinalis de Marque-Mont. promitto, voveo, & juro.

†

†

† Ego Laudivius Cardinalis S. Sixti promitto, voveo, & juro.

†

†

†

† Ego Io. Dominicus Spinula Cardinalis S. Clementis promitto, voveo, & juro.

† Ego Jacobus Cavalerius S. R. E. Presb. Cardinalis S. Euſebii promitto, voveo, & juro.

† Ego

Digitized by Google

†
†
†
†
†
†

† Ego C. S. Mariæ in Via lata Diac. Cardinalis Pius promitto, voveo, & juro.

† Ego M. S. Euſtachii Diac. Cardinalis de Sabaudia promitto, voveo, & juro.

†

† Ego Alexander S. Mariæ in Coſmedin Diac. Cardinalis Urſinus promitto, voveo, & juro.

†
†
†
†

† Ego Franciſcus S. Angeli in foro piſcium Diaconus Cardinalis Boncompagnus promitto, voveo, & juro.

† Ego Hippolytus S. M. Novæ Diaconus Cardinalis Aldobrandinus S. R. E. Camerarius promitto, voveo, & juro.

†

†Ego

Digitized by Google

† Ego P. Maria Burgheſius Diac. Cardinalis tit. S. Georgii promitto, voveo, & juro.

† Ego L. SS. Viti, & Modeſti Diaconus Cardinalis Biſcia promitto, voveo, & juro.

†

Io. B. Bolognettus.

G. Montanus.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto, Indictione Nona, Die verò ſexta Menſis Iulii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri D. VRBANI divina Providentia Papæ VIII. Anno ejus Tertio, ſupradictæ litteræ lectæ, & publicatæ fuerunt ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, Principis Apoſtolorum de Vrbe, Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Acie Campi Floræ per me Tarquinium Majonum Curſorem, & per me Brandimartem Latinum Prælibati Sanctiſſ. D. N. PP. ac Sanctæ Romanæ, & Vniverſalis Inquiſitionis Curſorem, &c.

Auguſtinus de Bolis Romanus
pro D. Mag. DD. Curſorum.

 Die

Digitized by Google

Die Menſe

Acceſſus.	Vota Scrutinii.

Epiſcopi VI.

R. Medices.	R. Spada.
R. de la Cueva.	R. Sacchettus.
R. Barberinus.	R. Ginettus.

Presbyteri XLIV.

R. Capponius.	R. S. Clementis.
R. Sandoual.	R. Montaltus.
R. Harrach.	R. Facchenettus.
R. Ant. Barberinus.	R. Grimaldus.
R. Columna.	R. Roſſettus.
R. Palottus.	R. Rapacciolus.
R. Brancaccius.	R. Ceva.
R. Bichius.	R. Georius.
R. Carpineus.	R. de Lugo.
R. Franciottus.	R. Cecchinus.
R. Duratius.	R. Ludoviſius.
R. Filamarinus.	R. Caraffa.
R. Bragadinus.	R. Cybò.
R. Cæſius.	R. Sabellus.

Scrutatores.	Infirmarii.	Recognitores.

Digitized by Google

Anno 1655.

Acceſſus	Vota Scrutinii.
R. Cherubinus.	R. Imperialis.
R. Aſtallius.	R. Borromæus.
R. de Rets.	R. Sanctacrucius.
R. Chiſius.	R. Aldobrandinus.
R. Lomellinus.	R. S. Suſannæ.
R. Homodeus.	R. Caffarellus.
R. Otthobonus.	R. Albitius.
R. Corradus.	R. Aquaviva.

Diaconi XIX.

R. Trivultius.	R. Odeſchalcus.
R. Gabriellius.	R. Vidman.
R. Mazzarinus.	R. Raggius.
R. Urſinus.	R. Maidalchinus.
R. Eſtenſis.	R. de Haſsia.
R. Coſtagutus.	R. Carolus Barberinus.
R. Donghus.	R. Pius.
R. Rondininus.	R. Gualterius.
R. Io. Car. Medices.	R. Azzolinus.
R. Sfortia.	

Præſentes in Conclavi num.	*Omnes ſunt numero*
Ægroti abſentes à ſcrut. num.	LXIX.
Abſentes à Curia num.	

Digitized by Google

Nomina & tituli Cardinal: nunc viventium. Ex quibus creati fuere à Paulo V. Epiſcopus 1. & Presbyteri 2. à Gregorio XV. Epiſpopus unus. ab Vrbano VIII. Epiſcopi 4. Presbyteri 21. Diaconi 7. ab Innocentio X. Presbyteri 19. Diaconi XI.

A Paulo V.

1. Aloyſius tit. S. Laurentius in Lucina, Prior Presbyterorum Cardinalium, Cardinalis Capponius, S. R. E. Bibliothecarius, Florentinus, 24. Novembris 1608.
2. Balthaſar tit. S. Crucis in Hieruſalem, Cardinalis de Sandoval, Archiepiſcopus Toletanus 2. Decembris 1615.
3. Carolus Epiſcopus Oſtienſis, Sacri Collegii Decanus Cardinalis Medices 2. Decembris 1615.

á Gregorio XV.

4. Alphonſus Epiſcopus Præneſtinus, Cardinalis de la Cueva, Epiſcopus Malacitanus, Hiſpanus 5. Septembris 1622.

Reliqui ab Urbano VIII. & Innocentio X. creati ſunt.

5. Franciſcus Epiſcopus Portuenſis, Cardinalis

nalis Barberinus, S. R. E. ViceCancellarius & Summiſta, Archipresb. Baſilicæ S. Petri Florentinus 2. Octob. 1623.

6. Bernhardinus Epiſcopus Sabinenſis, Cardinalis Spada, Briſichellenſis 19. Jan. 1626.

7. Julius Epiſcopus Tuſculanus, Card. Sacchettus, Præfectus ſignaturæ Juſtitiæ, Florentinus 19. Januarii 1626.

8. Martius Epiſcopus Albanenſis, Card. Ginettus S. D. N. Papæ Vicarius, Veliternus 19. Januarii 1626.

9. Erneſtus Adalbertus tit. S. Braxedis, Cardinalis ab Harrach, Archiepiſcop. Pragen. Germ. 19. Januar. 1626.

10. Antonius Barberinus tit. S S. Trinitatis in monte Pincio, Card. Antonius nuncup. S. R. E. Camerarius, Signat. Gratiæ, & Brevium præfectus, Archipresbyter Baſilicæ. S. Mariæ Majoris, Romanus, 30. Auguſti 1627.

11. Hieronymus tit. S. Mariæ Transbyterim Cardinalis Columna, Archipresbyter Baſilicæ Lateranenſis, Romanus, 30. Auguſti 1629.

12. Joannes Babtiſta tit. S. Petri ad Vincula, Car-

Digitized by Google

Cardinalis Palottus, Picenus, 19. Novembri 1629.

13. Theodorus tit. S. Mariæ de Populo Cardinalis Trivultius, Mediolanenſis 19. Novembris 1629.

14. Franciſcus Maria tit. Baſilicæ S. S. Duodecim Apoſtolorum, Card. Brancaccius, Epiſcopus Viterbienſis, Neapolitanus, 28. Novembr. 1633.

15. Alexander tit. S. Sabinæ Card. Bichius, Epiſcopus Carpenctoractenſis, Senenſis, 28. Novembris 1633.

16. Uldericus tit. S. Anaſtaſiæ, Cardinalis Carpineus, Urbinatenſis, 28. Nov. 1633.

17. Marcus Antonius tit. S. Mariæ de Pace, Cardinalis Franciottus, Lucenſis, 28. Novembris 1633.

18. Stephanus tit. S. Laurentii in Pane & Perna, Card. Duratius, Archiepiſcopus Genuæ Januenſis 28. Novembris 1633.

19. Aſcanius tit. S. Mariæ de Ara cæli, Cardinalis Philomarinus, Archiepiſcopus Neapoli, Neapolitanus 16. Dec. 1641.

20. Marcus Antonius tit. S. Marci, Cardinalis Bragadinus, Venetus, 16. Dec. 1641.

21. Pe-

Digitized by Google

21. Petrus Donatus tit. S. Marcelli, Cardinalis Ceſius, Romanus. 16. Dec. 1641.

23. Fr. Vincentius Ord. Prædic. tit. S. Clementis, Card. S. Clementis nuncup. de Florentiola, Placen. Diæc. 16. Dec. 1641.

23. Cæſar tit. SS. Quatuor Coronatorum Cardinalis Facchenettus, Epiſcopus Spoletanus Bononienſis, 13. Julii 1643.

24. Hieronymus tit. S. Euſebii, Cardinalis Grimaldus, Genuenſis, 13. Julii 1643.

25. Carolus tit. S. Silveſtri in capite Cardinalis Roſettus Epiſcopus Faventinus, Ferrarienſis, 13. Julii 1643.

26. Franciſcus Angelus tit. S. Cæciliæ, Cardinalis Rapacciolus, Epiſcopus Interamnen. Romanus, 13. Julii 1643.

27. Franciſcus Adrianus tit. S. Priſcæ, Cardinalis Ceva, Pedemontanus 13. Jul. 1643.

28. Angelus tit. SS. Quirici, & Julitæ, Cardinalis Georius, Camers. 13. Julii 1643.

29. Joannes è Societate JESU tit. S. Balbiniæ, Cardinalis de Lugo Hiſpalenſis, 13. Julii eod.

30. Dominicus tit. S. Sixti Cardinalis Cecchinus, Romanus, 14. Novemb. 1644.

Digitized by Google

31. Nicolaus tit. S. Mariæ Angelorum, Cardinalis Ludoviſius, Major Pœnitentiarius, Bononienſis, 6. Martii 1645.
32. Alderanus tit. S. Prudentianæ, Cardinalis Cybo, 6. Martii 1645.
33. Fabritius tit. S. Auguſtini Card. Sabellus Archiepiſcopus Salernitanus, Romanus, 7. Octob. 1647.
34. Franciſcus tit. S. Joannis ante portam Latinam Card. Cherubinus, Epiſcopus Senogallienſis à Monte Bodio, Picenus 7. Octobris 1647.
35. Camillus tit. S. Petri in monte aureo Cardinalis Aſtallius, Rom. 19. Septemb. 1650.
36. Joannes Franciſcus Paulus Gondus tit. S. Mariæ ſuper Minervam, Cardinalis de Rets nuncupatus, Archiepiſcopus Pariſienſis Gallus, 19. Febr. 1652.
37. Jo. Hieronymus tit. S. Honuphrii Card. Lomellinus, Legatus Bononiæ, Genuenſis, 19. Febr. 1652.
38. Aloyſius tit. S. Alexii Card. Homodeus, Epiſcopus Urbinatenſis, Mediolanenſis, 19 Februarii 1652.
39. Petrus tit. S. Salvatoris in Lauro Cardinalis

Digitized by Google

nalis Otthobonus, Epiſcopus Brixienſis, Venetus, 19. Februarii 1652.

40. Jacobus tit. S. Mariæ Transportinæ Cardinalis Corradus, Epiſcopus Æſinus, Ferrarienſis, 19. Februarii 1652.

41. Laurentius tit. S. Chryſogoni Cardinalis Imperialis, Genuenſis, 19. Febr. 1652.

42. Gibertus tit. SS. Joannis & Pauli Cardinalis Boromeus, Mediolanenſis eodem die & Anno.

43. Marcellus tit. S Stephani in monte Cœlio Card. Sanctacrucius, Epiſcopus Tiburtinus, Romanus, 19. Febr. 1652.

44. Baccius tit. S. Agnetis, Card. Aldobrandinus, Florentinus, 19. Febr. 1652.

45. Jo. Baptiſta Spada tit. S. Suſannæ Card. S. Suſannæ nuncup. Legatus Ferrarienſis, Lucen. 3. Martii 1654.

46. Proſper tit. S. Callixti Cardinalis Caffarellus, Romanus, 2. Martii 1654.

47. Franciſcus tit. S. Mariæ in via Cardinalis Albitius, Cæſenaten: 2. Martii 1654.

48. Octavius tit. S. Bartholomæi in Inſula Cardinalis de Aquaviva Legatus Æmiliæ Provinciæ Neapolitanus, 2. Martii 1645.

Digitized by Google

49. Chriſtophorus SS. Nerei, & Acchilei, Cardin. Vidman, Venetus, 7. 1647.

50. Julius S. Mariæ in via lata, primus Diaconus Cardinalis Gabriellius Epiſcopus Aſculanus, Romanus, 16. Decemb. 1641.

51. Julius S. Cardinalis Mazzarinus, Romanus, 16. Decembr. 1641.

52. Virginius S. Euſtachii, Cardinalis Urſinus, 16. Decembr. 1641.

53. Raynaldus S. Nicolai iu carcere Tulliano, Cardinalis Eſtenſis, Epiſcopus Regienſis, 16. Decembr. 1641.

54. Vincentius S. Mariæ in Coſmedin. Card Coſtagutus, Genuenſis 13. Julii 1643.

55. Jo. Stephanus S. Agathæ, Cardinalis Donghus, Epiſcopus Imolenſis, Genuenſis, 13. Julii 1643.

56. Paulus Æmilius S. Georgii, Card. Rondininus. Epiſc. Aſſiſienſis, Rom. eodem.

57. Joannes Carolus Medices S. Mariæ Novæ, Card. Joan. Car. nuncupatus 14. Novemb. 1644.

58. Federicus SS. Viti & Modeſti, Cardinalis Sforzia, Epiſcopus Arminienſis, Romanus, 6. Martii 1645.

59. Be-

Digitized by Google

59. Benedictus S S. Coſmæ & Domiani, Cardinalis Odeſchalcus, Epiſcopus Novarienſis, Comenſis, 6. Martii 1645.

60. Laurentius S. Angeli in foro Piſcium, Card. Raggius, Genuenſis, 7. Octob. 1647

61. Franciſcus S. Mariæ in Porticu Cardin. Maidalchinus, Viterbien. 7. Octob. 1647

62. Fridericus S. Mariæ in Aquiro, Cardin: de Haſſia, Germanus, 19. Febr. 1652.

63. Carolus S. Cæſarei, Cardinalis Carolus Barberinus, Romanus, 23. Junii 1653.

64. Carolus S. in Dominica, Cardinalis Pius, Epiſcopus Ferrariæ, Ferrarienſ. 2. Martii 1654.

65. Carolus S. Pancratii Cardinalis Gualterius Archiepiſcopus Firmanus, Urberetanus, 2. Martii 1654.

66. Decius S. Adriani Cardinalis Azzolinus, Firmanus, 2. Martii 1655.

Quia

Digitized by Google

Quia aliquid ſpatii reliquum fuit, adjungere volui Bullam, qui legitur die Cœno Domini.

Litteræ Proceſſus S. D. N.

INNOCENTII PAPÆ X.

Lectæ die Cœna DOMINI ANNO M. DC. LII.

In Nomine Sanctiſſ. & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Noverint univerſi, & ſinguli hoc præſens publicum Transſumptum inſpecturi, quod nos Proſper Caſſarellus Prothonotarius Apoſtolicus utriusque Signaturæ Sanctiſſimi D. N. Papæ Referendarius, necnon Curiæ Cauſarum Cam. Apoſt. generalis Auditor, Romanæq. Curiæ Iudex ordinarius, ſententiarum quoque, & cenſurarum tam in eadem Romana Curia, quàm extra eam latarum, ac litterarum Apoſtolicarum quarumcũque univerſalis, & merus executor ab eodem S. D. N. Papa ſpecialiter electus, & deputatus vidimus, & diligẽter inſpeximus litteras Apoſt. S. D. N. INNOCENTII Divina Providentia Papæ X. hodie, quæ fuit dies feriæ quintæ, & Cœna Domini ſolemniter more ſolito lectas, & publicatas, ejusque Bulla plumbea cum cordula rubei, croceique colorum more Romanæ Curiæ pendente expeditas, & omni ſuſpicione carentes tenoris prout infra Videlicet.

INNO-

Digitized by Google

INNOCENTIUS Epiſcopus Servus ſervorum DEI.

Ad futuram rei memoriam.

PASTORALIS Romani Pontificis vigilantia, & ſollicitudo, cùm in omni Chriſtianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda, pro ſui muneris officio aſſiduè verſatur, tùm potiſſimum in Catholicæ fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, unitate, atque integritate retinenda & conſervanda, maximè elucet. Nimirum, ut fideles Chriſti non ſint parvuli fluctaantes neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumventionem erroris: ſed omnes occurrant in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectum, neque ſe in hujus vitæ ſocietate & communione iædant, aut inter ſe alter alteri offenſionem præbeat: ſed potius in vinculo charitatis conjuncti, tanquam unius corporis membra ſub CHRISTO capite, ejusq; in terris Vicario

Rom.

Digitized by Google

Rom. Pontifice Beatiſſimi Petri Succeſſore, à quo totius Eccleſiæ unitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita divina gratia adjutrice, ſic præſentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas ſanè cauſas Rom. Pontifices Prædeceſſores noſtri, hodierna die, quæ anniverſaria Dominicæ Cœnæ commemoratione ſolemnis eſt, ſpiritualem Eccleſiaſticæ diſciplinæ gladium, & ſalutaria juſtitiæ arma per miniſterium ſummi Apoſtolatus ad Dei gloriam, & animarum ſalutem ſolemniter exercere conſueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius eſt, quàm fidei inviolatam integritatem, publicam pacem, & juſtitiam, Deo auctore, tueri, vetuſtum, & ſolemnem hunc morem ſequentes.

1. Excommunicamus & anathematizamus, ex parte Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Noſtra, quoſcunque Huſſitas, Wiclephiſtas, Lutheranos, Zvinglianos, Calviniſtas, Ugonottos, Anabaptiſtas, Trinitarios, & à Chri-

Chriſtianâ fide Apoſtatas, ac omnes; & ſingulos alios Hæreticos quocunque nomine cenſeantur, & cujuſcunque ſectæ exiſtant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defenſores, ac eorundem libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate noſtra & Sedis Apoſt. ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex quavis cauſa publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore, necnō Schiſmaticos, & eos, qui ſe à noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.

2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos cujuſcunque ſtatus, gradus, ſeu conditionis fuerint: Univerſitates verò, Collegia, & Capitula quocunque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, ſeu mandatis noſtris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium ad univerſale futurum Concilium appellantes: nec non eos, quorum auxilio, conſilio, vel favore, appellatum fuerit.

3. Item

3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Curſarios, ac Latrunculos maritimos, diſcurrentes Mare noſtrum, præcipuè à monte Argentario usq; ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defenſores.

4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcunq; navib9, tempeſtate, ſeu in transverſum (ut dici ſolet) jactatis, vel quoquomodo naufragium paſſis, ſive in ipſis navibus, ſive ex eisdem ejecta in mari, vel in littore inventa, cujuscunque generis bona, tàm in noſtris Tyrrheni, & Adriatici, quam in ceteris cujuscunq; maris Regionibus, & littoribus, ſurripuerint; ita ut nec ob quodcunque privilegium, conſuetudinem, aut longisſimi, & immemorabilis temporis posſesſionem, ſeu alium quemcunque prætextum excuſari posſint.

5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in Terris ſuis nova Pedagia, ſeu Gabellas, præterquam in caſibus ſibi â jure, ſeu ex ſpeciali Sedis Apoſtoli-

Digitized by Google

ſtolicæ licentia permiſſis imponunt, vel augent, ſeu imponi, vel augeri probibita exigunt.

6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios literarum Apoſtolicarum, etiam in formą Brevis, ac Supplicationum, gratiam, vel juſtitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. ViceCancellarios, ſeu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Rom. Pontificis ſignatarum, necnon falsò publicantes literas Apoſtolicas, etiam in formą Brevis, & etiam falsò ſignantes Supplicationes hujusmodi ſub nomine Romani Pontificis, ſeu Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sarracenos, Turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes & inimicos, vel Hæreticos per noſtras, ſive hujus ſanctæ Sedis ſententias expreſsè, & nominatim declaratos, deferunt, ſeu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtamnum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica inſtrumen-

Digitized by Google

ta, lignamina, canapem, funes, tàm ex ipſo canape, quàm alia quacunque materia, & ipſam materiam, aliaq; hujusmodi, qui-bus Chriſtianos, & Catholicos impugnant, necnon illos, qui per ſe, vel alios de rebus ſtatum Chriſtianæ Reipublicæ concernen-tibus, in Chriſtianorum perniciem, & da-mnum, ipſos Turcas, & Chriſtianæ Reli-gionis inimicos, necnon Hæreticos, in da-mnum Catholicæ Religionis, certiores fa-ciunt, illisque ad id auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtant. Non obſtantibus quibuscunq; privilegiis, quibusvis perſonis, Principibus, Rebuspu-blicis, per Nos, & Sedem prædictam ha-ctenus cōceſſis, de hujusmodi prohibitio-ne expreſſam mentionem non facientib9.

8. Item excommunicamus, & anathe-matizamus omnes impedientes, ſeu inva-dentes eos, qui victualia; ſeu alia ad uſum Rom. Curiæ neceſſaria adducunt, ac etiam eos, qui, nè ad Rom. Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, ſeu perturbant, ſeu hæc facientes defendunt per ſe, vel alios cujuscunque fuerint ordi-

nis,

Digitized by Google

nis, præeminentiæ, conditionis, & ſtatus, etiamſi Pontificali, ſeu Regali, aut alia quavis Eccleſiaſtica, vel mundana præſulgeant dignitate.

9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apſtolicam venientes, & recedentes ab eadem, ſua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui juriſdictionem ordinariam, vel delegatam, à Nobis, vel Noſtris Judicibus non habentes, illam ſibi temerè vendicantes, ſimilia, contra morantes in eadem Curia, audent perpetrare.

10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeu deprædantes Romipetas, ſeu Peregrinos ad Urbem cauſâ devotionis, ſeu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſa recedentes, & in his dantes auxilium, conſilium, vel favorem.

11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes,

carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes S. C. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sedisq. Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à ſuis Diœceſibus, Territoriis, Terris, ſeu Dominiis ejicientes: Nec non ea mandantes, vel rata habentes, ſeu præſtantes in eis auxilium, conſilium, vel favorem.

12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, vel per alios, perſonas Eccleſiaſticas quaſcunque, vel ſeculares ad Romanam Curiam ſuper eorum cauſis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia proſequentes, aut procurantes, negotiorumque geſtores, advocatos, procuratores, & agentes, ſeu etiam Auditores, vel Judices ſuper dictis cauſis, vel negotiis deputatos, occaſione cauſarum, vel negotiorum hujuſmodi, occidũt, ſeu quoquomodo percutiunt; bonis ſpoliant, ſeu qui per ſe, vel per alios directè, vel indirectè, delicta hujuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcunq; præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

Digitized by Google

13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tàm Eccleſiaſticos, quàm ſeculares cujuſcunq; dignitatis, qui prætexentes frivolam quandam appellationem à gravamine, vel futura executione liter. Apoſt. etiam in forma Brevis, tàm gratiam, quàm juſtitiam concernentium: Necnon citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum, monitoriorum, proceſſuum, executorialium, & aliorum decretorum à Nobis, & à Sede prædicta, ſeu Legatis, Nunciis, Præſidentibus, Palatii, noſtri, & Cam. Apoſt. Auditoribus, Commiſſariis, aliiſque Judicibus, & Delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tēpore emanaverint, aut aliàs ad Curias ſeculares, & laicam poteſtatem recurrunt, & ab ea, inſtante etiam Fiſci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta, capi & retineri faciunt, quivè illa ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito, & conſenſu, vel examine exequutioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii, ſuper hujuſmodi literarum & pro-

Digitized by Google

proceſſuum exequutione, inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta, parti, cujus intereſt, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam, partes, ſeu eorum agentes, conſanguineos, affines, familiares, Notarios, exequutores, & ſubexequutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, & Regnis ejiciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per ſe, vel alium, ſeu alios, publicè vel occultè, quivè alias quibuſcunque perſonis in genere, vel in ſpecie, ne pro quibuſvis eorum negotiis proſequendis, ſeu gratiis, vel literis impetrandis ad Rom. Cur. accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel literas à dicta Sede impetrent, ſeu impetratis utantur, directè vel indirectè prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eas apud ſe, aut Notarios, ſeu Tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præſumunt.

14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcunque, qui per ſe,

Digitized by Google

ſe, vel alios, auctoritate propria, ac de facto, quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apoſtolicarum prætextu beneficiales & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commiſſariis noſtris, aliiſque Judicibus eccleſiaſticis avocant, illorumvè curſum, & audientiam, ac perſonas, Capitula, Conventus, Collegia, cauſas ipſas proſequi volentes impediunt, ac ſe de illarum cognitione tanquam Judices interponunt; Quivè partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel conſentiendum eis, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolvi, per ſtatutum, vel aliàs, compellunt, vel exequutionem literarum Apoſtolicarum, ſeu exequutorialium, proceſſuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id favorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prætextu

 vio-

violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum, ſeu etiam donec ipſi ad Nos informandos, ut dicunt, ſupplicaverint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes hujusmodi coram Nobis, & Sede Apoſtolica legitimè proſequantur, etiam ſi talia committentes fuerint Præſidentes Cancellariarum, Conſiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Conſiliarii, ordinarii, vel extraordinarii quorumcunque Principium ſæcularium, etiamſi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, aut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Commendatarii, ſeu Vicarii fuerint.

15. Quivè ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcunque, perſonas Eccleſiaſticas, Capitula, Conventus, Collegia, Eccleſiarum quarumcunque coram ſe ad ſuum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Conſilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quovis quæſito colore: Nec non qui ſtatuta,

Digitized by Google

tuta, ordinátiones, conſtitutiones, pragmaticas, ſeu quævis alia decreta in genere, vel in ſpecie, ex quavis cauſa, & quovis quæſito colore, ac etiam prætextu cujuſvis conſvetudinis, aut privilegii, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis uſi fuerint, unde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quovis modo reſtringitur, ſeu noſtris & dictæ Sedis, ac quarumcunque Eccleſiarum juribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè præjudicatur.

16. Necnon qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque ſuperiores & inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcunque Judices Eccleſiaſticos ordinarios quomodolibet hac de cauſa directè, vel indirectè carcerando, vel moleſtando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon conſanguineos, & affines, aut aliàs impediunt, quo minus ſua juriſdictione Eccleſiaſtica contra quoſcunq; utantur, ſecūdum quòd Canones, & ſacræ Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, & decreta Conciliorum generalium,

 & præ-

Digitized by Google

& præſertim Tridentini, ſtatuunt; ac etiam eos, qui poſt ipſorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunq; ſententias, & decreta, aut aliàs fori eccleſiaſtici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias ſeculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia, Ordinariis, & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, ſeu dant auxilium, conſilium, patrocinium, & favorem in eiſdem.

17. Quivè juriſdictiones, ſeu fructus, redditus, & proventus ad Nos, & Sedem Apoſtolicam, & quaſcunque eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum pertinentes uſurpant, vel etiam quavis occaſione, vel cauſa, ſine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expreſſa licentia ſequeſtrant.

18. Quivè collectas, decimas, talleas, præſtantias, & alia onera Clericis, Prælatis & aliis perſonis eccleſiaſt. ac eorum & Eccle-

cle-

cleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujuſmodi abſque ſimili Rom. Pont. ſpeciali, & expreſſa licentia imponunt, & diverſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita, etiam à ſpontè dantibus, & concedentibus, recipiunt. Necnon qui per ſe, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcunque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, ſeu Principes, duces, Comites, Barones, & alii potentates quicunque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquomodo Præſidentes, Conſiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate inſigniti. Innovantes decreta ſuper his per ſacros Canones, tam in Lateranenſi noviſſimè celebrato, quàm aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum cenſuris, & pœnis in eis contentis.

19. Item

19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque Magiſtratus, & Judices, Notarios, Scribas, exequutores, ſubexequutores quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas, illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo, ſine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa hujus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia, quiq; hujuſmodi licentiam ad perſonas, & caſus non expreſſos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur, etiamſi talia committentes fuerint Conſiliarii, Senatores, Præſidentes, Cancellarii, Vice-Cancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, ſeu alios directè, vel indirectè ſub quocunque titulo, vel colore invadere, deſtruere, occupare, & detinere præſumpſerint, in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium beati

Petri

Digitized by Google

Petri in Thuſcia, Ducatum Spoletan. Comitatum Venayſinum, Sabinenſis, Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas Provincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras ſpecialis commiſſionis Arnulforum, Civitatesq. noſtras Bononiam, Cæſenam, Ariminum, Beneventum, Peruſium, Avenionem, Civitatem Caſtelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Civitates, Terras, & loca, vel jura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictæq. Rom. Eccl. mediatè, vel immediatè ſubjecta: necnon ſupremam juriſdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem de facto uſurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præſumunt, necnon adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtantes.

Volentes præſentes noſtros proceſſus, ac omnia, & quæcunque his literis contenta, quouſq; alii hujusmodi proceſſus à Nobis, aut Rom. Pont. pro tempore exiſtente fiant, aut publicentur, durare, ſuosq; effectus omnino ſortiri.

Ce-

Ceterum à prædictis ſententiis nullus per alium quàm per Rom. Pont. niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita, abſolvi poſſit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuſcunque perſonis eccleſiaſticis, ſecularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militarium regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipſisq; Ordinibus, & eorum Monaſteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & lócis piis, necnon laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii decreta, verbo, litteris, aut alia quacunque ſcriptura in genere, vel in ſpecie conceſſorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum.

Quòd ſi fortè aliqui contra tenorem præſentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſo-

abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, gravius contra eos ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus proceſſuri.

Declarantes, ac proteſtantes quamcunque abſolutionem, etiam ſolemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos ſub præſentibus comprehenſos, niſi priùs à præmiſſis; cum verò propoſito ulteriùs ſimilia non committendi, deſtiterint; Ac quoad eos, qui contra Eccleſiaſticam libertatem, ut præfertur, ſtatùta fecerint, niſi priùs ſtatùta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, & decreta hujuſmodi publicè revocaverint, & ex Archiviis, ſeu capitúlaribus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri & caſſari; ac Nos de revocatione hujuſmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec iis aliter ſuffragari, quin etiam per hujuſmodi abſolutionem, aut quoſcunque alios actus contrarios, tacitos, vel expreſſos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam noſtram, vel Succeſſorum noſtrorum quantocun-

Digitized by Google

tocunque tempore continuatam, in præmiſsis omnibus & ſingulis, ac quibuscunq; juribus Sedis Apoſt. ac S. R. E. undecunque & quandocunque quæſitis, vel quærendis, nullatenus præjudicari poſſe, aut debere.

Non obſtantibus privilegiis, indulgentiis, indultis & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus aliis cujuscunque ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamſi, ut præfertur Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quavis Eccleſiaſtica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, ſeu locis à prædicta Sede, ex quavis cauſa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & ſub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibuſvis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis conceſſis, etiam continentibus quòd excommunicari, anathematizari, vel interdici non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, & indultis hujuſmodi, ac de ordinibus, locis,

no-

Digitized by Google

nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, necnon conſuetudinibus etiam immemorabilib9, ac præſcriptionibus quantumcunque longiſſimis, & aliis quibuslibet obſervantiis, ſcriptis, vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus, ac ſententias, quominus includātur in eis, ſe juvare valeant, vel tueri.

Quæ omnia quo ad hoc, eorum omnium tenores, ac ſi ad verbum, nihil penitùs omiſſo, inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, penitùs tollimus, & omninò revocamus, ceteriſq; contrariis quibuscunque.

Ut verò præſentes noſtri proceſſus ad publicam omnium notitiam faciliùs deducantur, chartas, ſeu membranas Proceſſus ipſos continentes, valuis Eccleſiæ S. Jo: Lateran. & Baſilicæ Principis Apoſt. de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos proceſſus hujusmodi concernunt, quòd ad ipſos non pervenerint, aut quòd ipſos ignoraverint, nullám poſſint excuſationem prætendere, aut ignorantiam allega-

O re,

Digitized by Google

re, cùm non ſit veriſimile, id remanere incognitum, quòd tam patenter omnibus publicatur. Inſuper, ut proceſſus ipſi, & præſentes literæ, ac omnia & ſingula in eis contenta eò fiant notiora, quò in pleriſq; Civitatibus, & locis fuerint publicata, univerſis, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis ubilibet conſtitutis, per hæc ſcripta cõmittimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mãdamus, ut per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes literas, poſtquam eas receperint ſeu earum habuerint notitiam, ſemel in anno, aut ſi expedire viderint, etiam pluries in Eccleſiis ſuis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, ſolemniter publicent, & ad Chriſtifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Ceterùm Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique locorum Ordinarii, & Eccleſiarum Prælati, necnon Rectores, ceterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri ſeculares, & quorumvis Ordinum regulares ad audiendas peccatorum

con

confeſſiones, quavis auctoritate deputati, transſumptum præſentium literarum penes ſe habeant, easque diligenter legere, & percipere ſtudeant. Volentes earundem præſentium tranſumptis, etiam impresſis, Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo Judicis Romanæ Curiæ, vel alterius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica cōſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem in judicio, & extra illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipſis præſentibus adhiberetur ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtæ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, proteſtationis, ſublationis, revocationis, commiſſionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis DEI, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Dat. Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo

 quar-

Digitized by Google

quarto Quarto Non. Aprilis, Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

Loco † plumbi.

D. Card. Prodatarius.

Ferd. Raggius.

Viſa de Curia N. Humbertus.

P. *Ciampinius.*

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

ANNO à Nativitate Domini milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo, Indictione quinta, die verò 28. Martii, Pontificatus Sanctiß. in Christo Patris, & D. N. D. INNOCENTII *Divina Providentia Papæ Decimi Anno ejus Octavo. Supradictæ litteræ Apoſt. affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valuas Curiæ & in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Vrbis per nos Io. Iacobum Pellicciam, & Laurentium Lazzonium prælibati Sanctiß. D. N. Papæ Curſores.*

Pro D. Mag. Curſorum

Andreas Caſtruccius.

Qui-

QVibus quidem literis diligenter inſpectis, illas ad requiſitionem, & inſtantiam Mag. D. Iuſtini Gentilis Sanctiſs. D. N Papæ, & Cam. Apoſtol. Proc. Fiſcalis, per noſtrum, & dictæ Curiæ Notarium, & Menſarium infraſcriptum tranſumi, & exemplari, ac in hanc publicam tranſümpti formam redigi mandavimus. Decernentes, & volentes, ut huic præſenti tranſumpto, juxta earundem literarum, & decreti in eis appoſiti formam, continentiam, & tenorem, de cætero plena, & indubitata fides adhibeatur ubique locorum, ac ſi ipſæ literæ originales exhibitæ, vel oſtenſæ forent. Quibus omnibus, & ſingulis auctoritatem noſtram ordinariam, & decretum interpoſuimus, & interponimus per præſentes. In quorum fidem præſentes literas, atque præſens publicum Inſtrumentum tranſumpti exinde fieri, & per dictum noſtrum, & Curiæ noſtræ Notarium, & Menſarium ſubſcribi, & publicari mandavimus, noſtrique ſoliti ſigilli impreſſione muniri juſſimus, & fecimus. Dat. Romæ ex ædibus noſtris, Anno Domini 1652. Indictione 5. die verò 18. Menſis Aprilis, Pontificatus autem Sanctiſs. in Chriſto Patris & D. N. D. INNOCENTII Divina providentia Papæ X. Anno Octavo. Præſentibus ibidem DD. Ceſare Columna, & Dominico

Digitized by Google

Buratto dictæ Curiæ noſtræ Notariis ad prædicta omnia & ſingula vocatis, habitis, ſpecialiter atque rogatis.

Loco † Sigilli

Proſper Caſſarellus Auditor.

Loco † Signi.

Franciſcus Iacobus Belgius Cur. Cauſ. Cameræ Apoſtolicæ Notarius.

FINIS.

Digitized by Google

Matthæi Palmerii
de
CAPTIVITATE PISARUM HISTORIA.

ex recenſione

L. N. M.

Digitized by Google

Digitized by Google

Præfatio
LEVINI NICOLAI Moltke.

PIſam eſſe Urbem antiquam conſtat ex Catone, Strabone, Plinio, Solino, Livio, Dionyſio Halycarnaß: Polybio, Virgilio, Ptolemæo, Antonini Itinerario & aliis, quãvis tunc non ibi, ubi nunc ſitum ſuum habuerit. Plurimi ſcribunt illam urbem originem ſuam habere ab Alpheis Pelaſgis vel Piſanis. Hinc Virgilius,

Hos parere jubet Alpheæ ab origine Piſæ.

Piſæ enim fuit Urbs Arcadiæ, juxta quam defluit Alpheus fluvius. Quod primum à Græcis ſit condita, ab omnibus proditum eſt. Eam jam tempore florentis Romanorum Imperij fuiſſe potentem & unam ex florentiſſimis Tuſciæ urbibus, liquet ex Hiſtoria Romana. Enervato ac proſtrato illo imperio, tàm potentes Piſani facti ſunt, ut Sardiniã ſibi ſubjecerint, Carthaginem occuparint, Panormum in Sicilia Saraceniis

Digitized by Google

nis eripuerint, Regem Balearium Inſularum Saracenũ occupatis illis Inſulis occiderint, & ejus conjugẽ ceperint, Regi Hieroſol: contra Saracenos cum 40. Triremibus ſuppetias tulerint, & Imperatori Frid: Barbaroßæ auxiliũ contra Mediolanẽſes dederint, ejusq́; cõmodo contra Papam ſedulò ſtuduerint, & interdum feliciſſimè contra Genuenſes mari dimicarint, atq́; eosdem magnâ clade affecerint & inſignes alioquin mari victorias obtinuerint. Hæc tandem Reſpublica civium ſuorum diſcordia & factionibus (quo nullum pernicioſius malum in civili ſocietate cogitari poteſt) adeò debilitata fuit, ut in triſtem ſervitutem à Florentinis ſit redacta, & deinde adeò incolis infrequens facta, ut vix urbs in tota Italia minus populoſa inveniatur. Adeò tempora omnia mutant: nihil ſub Sole perenne eſt. Habent Imperia, Regna, Reſpublicæ, Urbes ſuas fatales periodos, quibus gloria & potentia eorum circumſcripta eſt. Hæc Reſpublica olim tam potens, ut vix quicquam potentiſſimis Græciæ, & ſuo tempore Italiæ Rebuspub: ceſſerit & ſola plus potuerit, quam nunc Magnus Hetruriæ Dux, qui omnibus ijs Regionibus & oppidis dominatur, quæ olim huic, & Florentinis & Senen-

Senenſibus parebant, nunc ferè præter nitorem, ædificioru publicoru ſplendorē & præſertim turrim marmoreā inſigni arte inclinatam, ad nihilum redacta eſt. Fui ter in illa urbe, exceptis iis, quæ dixi, ferè nihil quàm ſolitudinem vidi, & obſervavi, Portum Liburnum, quod oppidum ei olim ſuberat, nūc verò, ut illa, ſub magno Etruria Duce eſt, ſine cōparatione incolarum frequētia & commerciis hac eſſe clariorē. Multi Italiæ Hiſtorici de hujus Reipublicæ viribus Poſteritatē aliquid reliquerunt, ut Sigonius, Leonardus Aretinus, Sabellicus, Platina, Blondus, Volaterranus, Bernhardinus Corius, Hieronymus Brianus & alij: neq; defuerunt, qui ejus ſervitutem vel transformationem generatim poſteris prodiderint; nemo tn., quod ego ſcio, ſpecialiter & majori prudentia ac judicio hanc Hiſtoriam cōpoſuit, quam Matthæus Palmerius Florentinus: Eapropter, cùm in Italia Petrus Petri, vir eruditione & rerū uſu clarus, illam mecum cōmunicaret, admiratus ſum, Eam tàm diu in tenebris jacuiſſe: nam hactenꝰ illam fuiſſe typis vulgatā haud memini: admirari tn. deſij, cum cogitarē idem obtigiſſe præſtantiſſimis Rerum à Florentinis geſtarum Scriptoribus, Benedicto Varchio

& Bern-

& Bernhardo Segnio, qui quia multa, quæ Domui Medicea haud arrident, fideliter & ut Hiſtoricos decet, literis mandarunt, in lucem edi non potuerunt. In Italia multum in bonos auctores ſævitur; Aut prohibetur illorum editio, aut illa quæ diſplicent, adimuntur; quod accidit Machiavello, Guicciardino, Corio, Cinio & aliis: conãtur ibi Põtifices & Principes præſenti potẽtia extinguere ſequentis ævi memoriam. Ego hanc hiſtoriam propter civilem, quam continet prudentiam, & tam potentis Reip: interitum, quem nativo lepore deſcribit, dignam judicavi, ut publici uſus fieret. Pluribus eam commendare ſuperfluum puto: Vino enim vendibili non opus eſt ſuſpenſa hedera. Reliquum eſt, ut te rogem Benevole Lector, æqui boniq; conſulas hæc, quibus tibi prodeſſe volui, ſiq; nonnulla menda inveneris, me excuſes: Uſus enim ſum Exemplari adeò corrupto, ut multa haud aſſequi potuerim: nonnulla tamen ex aliis earum rerum ſcriptoribus correxi ac reſtitui. Hiſcè fruere & vale.

MAT-

Digitized by Google

MATTHÆI PALMERII FLORENTINI

DE

CAPTIVITATE PISARUM HISTORIA.

Magno & ſpectato Viro NORIO CAPPONIO *M*ATTHAEUS PALMERIUS *ſal. pl. dicit*

HUnc librum Piſanæ Captivitatis Hiſtoriam continentem, tuo nomini dicaſſem & ad te miſiſſem, ſi exemplum haberem, quod idem veteres factitaſſent: Verum admiror, & cur factum ſit neſcio, quod cum plerumque aliarum rerum ſcriptores ſuos libros excellentib: mittunt viris, hoc idem non fecerint Hiſtorici; præſertim cum nihil aliud ferè ſit hiſtoria, niſi celebratio virorum illuſtrium. Sed cum ſit in Præceptis, uſum Autorum præcipuè eſſe ſequendum; ne præceptum ignorare aut contemnere videar, librum

tibi

tibi non mitto editum nomine tuo; ſed antequam illum emittere incipiam, dono tibi do, eâ maximè adductus causâ, quod quicquid in hac Hiſtória laudis eſt, partem ſibi maximam ſuo jure vendicet Ginus Pater tuus. Vale.

Inter humanæ vitæ præcepta recondita, ſq; doctrinas & laudatiſſimas artes, quas viri magni imitantur & appetunt, nihil eſt magis ſecundũ naturam, quam prò omnibus gentib: ſi fieri poſſit, cõnſervandis, & ſi pro omnibus fieri non poſſit, attamen pro multis, vel pro ſuâ tantum Repub: ingentes labores ſuſcipere, & res magnas atque difficiles cum dignitate & conſtantia adminiſtrare. Ad hanc claritatem amplitudinemq́ue acquirendam cum cætera omnia cogitatione amplecteris diſciplinâ accommodatius nihil atque aptius inveneris. Civilis enim diſciplina, ſi illa, quam volumus, erit, boni ſenatoris Prudentiam, cui omnium bonarum rerum adjuncta ſit ſapientia, continebit: Quod quantum ſit omnes videmus; aſſequi tn. illud niſi multarum maximarumq; rerum cogni-

cognitione non poſſumus. Cognitionem verò rerum habere nequaquam valemus, niſi longa præceſſerit ætas, aut aſſidua accurataq; dederit lectio. Juvenis igitur licet non ſit per ætatem idoneus ad cognitionem earum rerum, quæ in vita fiunt: Attámen, niſi ſit iners, & majorum geſta diligenter perlegerit, rerum & temporum cognitionem conſequetur, & ſenectutis grato atque honeſto fungetur munere, majoribusq; natu fiet conſilio & prudentia par. Veritatis profectò cognitionem dant tempora, quod oſtendentes Poetæ temporis illam atq; noctis filiam finxere. Qui igitur temporis & rerum geſtarum cognitionem habent, facile veritatem intelligent & prudentia rectoq; judicio clarorum hominum facta metiri & conſilio atq; ſcientià gubernare Rempub. poſſunt.

Hanc vitæ doctrinam, quâ homines cæteris hominib: præſtant. Hiſtoria quæ eſt rerum geſtarum Magiſtra, exponit atq; demonſtrat, alacrioresq; nos ad Rempub. defendendam, & magnas res gerendas, facit, & ad res improbas ſegniores. Multa

enim

Digitized by Google

enim ſunt, quæ nobis præſtat hiſtoria, cui non ſatis eſt, quod factum ſit, enarrare, ſed addere & qua ratione, quibꝰ Conſiliis, quo tempore, per quos, & quomodo quæque ſunt geſta. Pronunciare etiam quid ſenatus decreverit, interponere conciones, Regiones interdum pugnamq́; deſcribere, qui vicerint & quod ſequutum ſit, demonſtrare: clarorum hominum laudes nequaquam ſilere, & nequiter facta damnare. Quod aliud ferè nihil eſt, quam omnium temporum omniumq; magnarum rerum ſummam colligere & unius hominis memoriæ judicioq́; mandare. Quo quid ſit hominum prudentiæ præſtantius, videre non poſſumus, nec quid ad gloriam accommodatius. Exemplis certè honoris cupido accenditur, & bonam famam magnamq́; nobilitatem enixius homines imitantur: quibus bene diſpoſitis, ut aliquid etiam momenti à me addi poſſit, ita ad inceptum venio.

Bellum ſcripturus ſum inquo Piſæ ſunt à Florentino populo captæ: primum quia magnum & memorabile fuit: Deinde quia æmu-

Digitized by Google

æmulatione potentiæ, & diverſitate amicorum utriſq; indignantibus, tanta obſtinatione geſtum eſt, ut multa memoratu digna contineat. Sed antequam initium narrandi faciam, pro majori cognitione rerum, Veteres inter utramq; populum inimicitias & continuata dudum odia, nec minus recentes hujus noviſſimi belli cauſas dicere aggrediar.

Declinante Romano Imperio Italia externis ac ſuis armis diu variè quasſata eſt & multæ ſunt per eam clades illatæ. Nam & Roma, cujus Urbis ſingulare fuit olim in terris Imperium, pluries direpta eſt, & ſine ullo interdum habitatore derelicta, & plurimæ per Italiam Urbes ſunt everſæ. Rerum humanarum Domina Fortuna, quemadmodum cæteris ſecundis ſolet rebus, ita quoque Romanis voluit creſcendi finem imponere. Cum magnitudine potentiæ, & amplitudine imperii, maximè tuti eſſe viderentur, tum tanto validiores invenerunt hoſtes, nec malorum initii externæ fuerunt cauſæ, ſed inter propria mœnia Romani cives ſuis ſe viribus, ſive potius vi-

 tiis

Digitized by Google

tiis onerabant. Nam poſtquam cunctas ferè gentes nationèsque, quibus aliquid virium dignitatisque inerat, virtute domuerant, cum externos non adinvenirent hoſtes, otium atque delitiæ, animos invaſere, quæ duæ res negligentiam gignunt atque diſcordiam, commune civitatis malum. Bonis itaq; artib: per otium atq; pacem ejectis, ubi per diſcordiam ingenium & induſtria, viresq; unà decrevere, manifeſtum mortalibus fuit, pernitioſiorem pacem quam bellum Romanis fuiſſe: nam brevi moribus poſt hæc immutatis, pro modeſtia & juſtitia, luxuria & iniquitas invaſere, tantumq; ſtatim & publica autoritas diminuta, quantum eſt aucta privatorum licentia, quo ſenſim primo paulatimq; exereſcens, tandem ſe repente in potentiam dominationemq; convertit.

Amiſſa igitur Reipub. libertate, omnia unius voluntate & nutu agebantur: hinc malorum omniũ eſt aucta materies. Nam licet primo ſatis juſtum ſatisq; tolerandum imperium eſſe videretur, ſtatim tamen in tantam ambitionem ſuperbiamq; deve-

nit,

nit, ut imperium & crudele, intolerandũq; factum ſit: Cum igitur Imperatores nomine tantum, re verò Tyranni facti eſſent, incredibile penè dictu eſt, quam parvo têporis curſu, magna ſit tanti imperii facta jactura. Cives Romani, quibus aliqua nobilitas inerat, quaſi libertatis avidi Principibus inimici erant, penè ſunt omnes necati: Alienigenæ ad magnas ſunt dignitates aſſumpti, opes conſumptæ, direptæ provinciæ, in Gentes ſævitum; quibus injuriis cum multos mortales ſibi inimicos feciſſent, & imperii vires jam ſatis imminutæ eſſe viderentur, facilè fuit populos atque nationes in ſeſe commovere. Imminutis igitur per hunc modum imperii viribus, primi omnium Gothi ingenti multitudine infeſti exercitus, auſi ſunt Italiam pervadere, ac pervaſtatis paſſim atq; eraſis ubiq; agris multisq; expugnatis Oppidis, Urbem tandem Romam ingreſſi, longe majorem quam unquam aliàs facta fuerit, prædam diripuere. Poſt Gothorum vaſtitatem, Hunni, deinde Vandali, & Heruli, iterumq; Gothi, & poſt eos Longobardi, per longum

gum tempus Italiam oppreſſere, trecentos nimirum & ſeptuaginta tres annos: tot enim fuere à primo Gothorum ingreſſu ad Longobardos expulſos. Per Italiam debacchata eſt hæc Barbarorum immanitas, quibus temporibus multæ urbes oppidaque, quæ quondam nobiliſſima fuerant, interiere, & nunc proſtrata atq; diruta jacent. Attritis tandem Italiæ opibus, ſumma rerum ad duos maximè Principatus delata eſt, ad Pontificem videlicet, qui Eccleſiaſtica adminiſtrabat, & imperatorē, qui ſecularia atq; civilia. Primis illis temporib9, unoquoq; ſuam ſolum modo poteſtatem ſervante ſatis concordes amicique, manſere; Poſtea verò, cum interdum confundere interſe jura viderentur, & alter alterius poteſtatem uſurpare, inter eos diſcordia ſeditioneſque coortæ ſunt, & tandem ad bellum armaq; deventum. Hinc initium habuerunt factiones duæ: Guelforum una, quæ Pontifices ſequebatur, Gibellinorum altera, quæ pro imperatorib9 dimicabat, longè lateq; per Italiam vagata eſt hæc animorum diverſitas; ſed in Etru-

ria

Digitized by Google

ria maximè ſæviit obſtinata perverſitas, in quâ civiles diſcordiæ, populorum ſeditiones, & prælia, rebelliones, expulſionesq́ue civium & cruciatus & cædes, atq́; rapinæ incendiaq́; inſenſis ſunt animis perpetrata; Quibus in vaſtitatibus inteſtinisq; bellis, Florentini Pontifices, Piſani Imperatorias partes ſequebantur. Hinc coortæ inimicitiæ & diviſi animi, eò obſtinationes Vecordiæq; proceſſerunt, ut alterius alteri inimicos ſedulo foverint, & ſuis tutati ſint viribus, & ſæpe inter ſe ſæva & plusquam inimica contulerint arma; quibus in contentionib9 licet potentisſimæ Etruſcarum civitatum fuerint, odiis tamen certe majoribus certarunt, quam viribus. Inerat faſtus ſuperbiaq́; Piſanis, quia olim terra Mariq́; potentes, Sardiniam, Corſicam & Baleares poſſederant Inſulas, & ſæpe navib9 formidabiles potenti navigarunt Claſſe. Dedignabantur etiam, quia vetuſtate Urbis, & antiqua Græcæ originis forma longè Florentinis præibant; ſed præter cætera, factionibus diverſis animos irritantibus, inſtabat partium cum acer & communis
 po-
Digitized by Google

populorum ſtimulus; qui bella inter utrũque populũ geſta, & datas acceptasq; clades, tãquam irarum & odiorum fomitem tenaci mente ſervabant. Nec deerat Luca, cujus Urbis potiundæ gratia, magnæ inter utrumq; populum contentiones fuerant. Super his omnibus erant ſperata præmia: ideò non de ſuo tantum, ſed de Etruſco Imperio contendere videbantur & quam ſuarum partium fortuna regnare volebat, armis experiri. His perturbationibus anxiis continuæ inimicitiæ vigebant, & crebra inter eos exarſerant bella & ad quietem & pacem pertinaces & duri obſtinatiq; permanebant. Ex his igitur Cauſis, ſeſe quaſi ex alta ſpecula obſervabant, opportunitatemq; invadendi vincendiq; exſpectantes: prævenit tandem Florentinis occaſio de qua jam dicere aggrediamur.

Salutis Chriſtianæ anno quinto ſupra quadringentos & mille multum variæ & & turbulentæ erant Conditiones Italiæ. Primum quia duob. Pontificibus Benedicto XIII. & Innocentio eodẽ tẽpore diſcordantibus per ſeptem jam & viginti annos

ingens

ingens continuarat ſchiſma, quod adeò poſtea demum crevit, ut non ſolum duos, ſed etiam tres eodẽ tẽpore Rom: Eccl: habuerit Pontifices. Calabriam, Apuliam & cæteras Regni partes gubernabat Ladiſlaꝰ Rex, qui per amicitiæ ſpeciem Romam ad Innocentium ingreſſus, urbem tamen capere procurabat. Cujus rei gratia civilib. contentionibus ab eo ſublevatis, ſequutæ ſunt Romanorum Civium neces & Pontificis Viterbium fuga. In Ciſalpina Gallia tres ferè annos antea Galeatius Mediolanenſium potentisſimus Dux naturæ conceſſerat, filios relinquens Gabrielem Mariam ex Concubina genitum, qui Piſanis dominabatur, & Philippum legitimis natum nuptiis, qui Mediolanenſium erat Dux. Hic per hæc tempora puer, paternas reſumere vires nec dum per ætatem valebat, nec recuperare Urbes, quibus ſingulis ſinguli fere Tyranni dominabantur. Genuenſes erant in poteſtate Regis Francorum, gubernabatque eos Buccialdus Regis Præfectus, & Benedictus quoq; alter tunc Pontifex in eâdem Urbe degebat. In Citeriore

Digitized by Google

inſuper Gallia Franciſcus Carrarienſis Patavium, Veronam & Vicentiam Urbes poſſidebat, adverſus quem Veneti magnum bellum gerentes, illius conabantur ſtatum opprimere. Buccialdus & Genuenſes, erant amici jam pridem Cararienſis, graviter ferebant, illum ſpoliari bonis & amittere Principatum videre. Qua benevolentia moti, & ne tanta potentia accederet Venetis, ut formidabiles viderentur, cœperũt inter ſe de illius ſalute cogitare, nec ſalubriorem adinvenerũt viam, quam Florentinos ad juvandum Patavium Principem cõmovere. Cum Benedicto igitur Genuæ tunc Pontifice, de eâ re conſilio propoſito, adeo facilé illũ, & ad maturãdum propenſum invenerunt, ut magnoperè ſibi placere ſponderet, & pro ſuis facultatibus rem adjuturum eſſe polliceretur: quod feciſſe maximè creditur, quia in pertractando negotio Florentini populi obedientiam in ſacris quam ſummoperè optabat, facillimè conſequi poſſe ſperabat. Convenerunt igitur incæptum perficere, ſed quia erat tunc Florẽtinis amicitia cum Venetis, non ſpe-

ſperabat eos ad apertum bellum movere. Gratam igitur Florentino populo ingreſſi ſunt viam, elegerunt illis Piſanam Urbem tanquam venalem offerre,& pretium pro majore parte in tutelam Patavini convertere. Piſanis diximus Gabrielem dominari Galeatii Mediolanenſis non legitimum filium, qui & propter impotentiam ſuorũ in Gallia, & propter crebras Piſanorum mutationes, quas diverſæ factiones ciebãt, ſtatum imbecillum & ſuſpicionib; plenum tenebat. Titubantem ergò illum & Regno diffidentem monent, & perſuadendo diſſuadendoq́ue movent, ne expulſionem, mortemve exſpectet, ſed habita utilitatis ſalutisq; ratione, magna accepta pecunia caducum citoque lapſurum Regnum relinquat. Inter hæc Bonaccurſum Alderottum Civem Florentinum Genuæ tunc degentem ad ſe vocant, conſilium illi ſuum patefaciunt, dantq; verbis mandata, ut Florentiam Magiſtratui quam ſecretiſſimè enunciet, ejus voluntatem intelligat, citoq; renunciet. Alderottus, poſtquam hæc læto animo accepit, operam ſuam

P 5 pol-

Digitized by Google

pollicitus, ſtatim Florentiam Prioribus Civitatis literas miſit, idemq́; pauciſſimis etiam ſcripſit civibus, quorum plurimum ea tempeſtate in Republica prævalebat autoritas: literarum verba hæc fuere. Poſthabitis omnibus honor patriæ mihi carior eſt, & ubicunq; ſim, nihil curo diligentius eo, quod Principibus noſtræ Reipub. univerſoq́; populo Florentino gratiſſimũ ſit. Ideo fui cum illis, qui in hac urbe poteſtatem habent, conferendi id, quod ſummoperè optatis, & eò deducta res eſt, ut illos magis fore diſpoſitos veſtra non poſcerẽt vota: quapropter ſi id conſequi vultis, quod veſtram Remp. & Florentini nominis dignitatem amplificet, mittite, qui alio publicato ſuæ profectionis negotio, habeat conficiendi publicam poteſtatam: nec à me ipſo ſcripſi hæc, ſed fecerunt me ſcribere, qui & facere valebunt. Vos curate ne craſtinãdo res maximas differatis, quas certò ſcio vobis & veſtris omnib. fore gratiſſimas. Priores ubi eas literas accepere, & quid eſſet negotii ab amicis, qui Buccialdi mentem tenebant, cognoverunt, pau-

corum

Digitized by Google

eorum Civium Conſilio Ginum Capponi-um Genuam, veluti propria curaturum negotia, celerrimè mittunt, mandantq; ut per Alderottum quæ ſint agenda cognoſcat; Buccialdum deindè, & ſi è re videbatur eſſe, Pontificem quoq; adeat: & ſi de tradenda Piſa Florentino populo, verba forent, quam habeant tradendi poteſtatem, & quid velint intelligant, cunctaque nunciare feſtinent. Ginus mandata diligenter curans ad Buccicaldum venit, qui ſermone puro ſtatim ingreſſus, rem curaturum ſe dixit, ut in Florentinorum manꝰ Piſæ devenirent, ſi collaturi tantam eſſent Florentini pecuniam, quantam tanti Urbi æquum eſſe convenirent. De quantitate interrogatus, quater millia centum nummorum auri poſtulavit, quorum partem Gabrieli Mariæ civitatem tenenti tribuebat, reliquum in ſubſidium Paravini Principis conferebat. Quærebat præterea Florentinos Benedicto Pontifici ſacrorum obedientiam præſtare & alia quædam volebat, quæ videbantur factu faciliſſima. Interrogavit igitur Ginus, ſi in cæteris convenis-

veniſſent, haberet ne tradendæ urbis poteſtatem? reſpondit poteſtatem non habere, ſed propèdiem favente Benedicto Pontifice habiturum. Ginus tandem cum Buccialdo convenit, ut poſteaquam Urbis tradendæ facultatem nactus fuerit, Florentiam per Alderottum ſignificet & ſperet omnia quæ poſtulaverat, perfacilè poſſe effectum habere. Per hunc itaq; modum utriusq; voluntate intentioneq; firmata, Ginus Florentiam revertitur. Dum hæc tractabantur, Gabriel, qui Piſanis dominabatur, cognoſcens imbecillam dominationem tenere, & eas ſuſpiciones reputans, quas Buccicaldus & Pontifex imprimebant, cepit in dies magis magisq; potentiæ ſuæ diffidere & propriæ ſaluti conſulere. Sed adeò eſt in rebus humanis varia atque incerta fortuna, ut unde præſidia quærebat, inde ruina provenerit.

Tunc igitur primum ad Florentinos reſpicere cæpit, & eorum amicitiam optare. Maſus Albitius Florentinus erat vir ea ætate circumſpectus, & in Rep. magnæ autoritatis Civis, cum quo jam pridem amicitiam

citiam ſervabat, quâ inprimis confiſus ad illum miſit Leonardum quendam mercatorem Florentinum Piſis tunc commorãtem, petiitq; ut Vicum Piſani agri oppidum veniret, ubi cum eo convenire cupiebat, tractaturus quædam Florentinis & ſibi gratisſima. Maſus igitur habita prius Magiſtratus licentia in Villam, quam in Brentinenſi agro Vico oppido ſatis vicinam poſſidebat, proficiſcitur; poſtridiè piſcando per Arnum fluvium juxta Vicum ſe contulit, indeq; Gabrielis nomine, qui, ſicuti inter eos fuerat cõpoſitum, eadem die Piſis Vicum devenerat ad cibum potumq; invitatus, quibus dicebat Piſcatores ſummè indigere, Vicum ingreditur; feruntq; ingredientem illlum vidiſſe vexillum ex Arcis ſummitate cadens poſt dimidiatam altitudinem ſuſpenſum ferreo anulo remanere, ſuisque dixiſſe, Romanorum tempore malum hoc fuiſſe Dominantis omen. Gabriel poſtquam illum excepit, facto Epulis modo, in remotam ædium adducit partem ibq; varios ſermones ingreſſus; ſum̃a fuit, ut nihil aliud niſi Florentinorum amicitiam

eiciam fœduſq; expoſceret, multiſq; ultrò citroq; habitis verbis, Maſus tandem Magiſtratui ſingula relaturus Florentiam rediit. Poſtero die Gabriele Piſas reverſo intellexerant Piſani, illum cum Maſo conveniſſe, & quid negotii habuiſſet diſceptātes arbitrati tandem ſunt, Gabrielem Florentinis Piſas vendere voluiſſe; Quamobrem veriti ne talis contractus fieret, arma ſtatim ſumpſere; Gabriel in Arcem fugit, & ſe conductis militibus tutabatur. Verum cum rerum neceſſariarum penuria populi obſidionem protrahere non poſſe intelligeret, nec ſatis tutè perſiſtere, auxilii ſpem ad Buccicaldum vertit, & celeriter ad eum miſit, impetravitq; ſagittarios & expertos ad cuſtodiam milites, quibus ſe communivit atq; defendit, ſola navi longa, quæ intercepta tandem poſtea à Piſanis fuit, per Arnum fluvium cōmeatibus importatis.

Poſtquam Florentini, quæ Piſis facta fuerant cognoverunt, & acceperunt Buccicaldi milites in arce fuiſſe receptos occaſionem impetrandi, quod ante tractaverant nacti, duos delegerunt Cives, unum

ad

Digitized by Google

ad Buccicaldum, ad Gabrielem alterum. Mandatum illis eſt, ut maturius adeant & omnia, quæ ad emendam Florentino populo Piſanam Urbem opportuna eſſe videantur, diligentius curent. Gabriel igitur & Buccicaldus acceptis Florentinorum nominē verbis, & unitis inter ſe voluntatibus Petram Sanctam delegerunt, ad quod oppidum Baptiſtam Lomellinum & Coſmum Tarigum Genuenſes Cives miſerũt, quibus carum erat Florentinos Piſas accipere, ea maxime adducti cauſa, quod ſtudio Guelfarum partium Florentini Genuenſib. erant accepti, contrarii verò adverſiq; Piſani. In eo igitur oppido cum Florentinis Legatis poſt varias diſceptationes cōvenerũt, ut Gabriel Piſas Piſanumq; agrum & cuncta Piſani agri oppida Florentino populo venderet; Urbis arcem in qua ipſe refugerat, & alias quasdam in agro Oppidorum arces daret. Florentini centum & quinquaginta ſupra duo millia librarum auri pretii nomini exſolverent, Urbem cæteraq; agri oppida, agrumq; ipſum ſua vi operaq; poſſiderent, ſolutionum diſtributa ſunt tempora.

In

In deditione Arcis auri pars Gabrieli ſolvebatur, reliquum poſt Urbem infra certum tempus adeptam menſtruis ſolutionibus in ſubſidium Patavini Principis conferebatur. Sed quia Florentini Arcem adepti, illam, prius quam Urbe potirentur, amiſerunt, & tanta interim facta eſt temporis intercapedo, ut cõſtituta lapſa ſint tempora, & Patavium cæperint Veneti, nulla reliqua eſt facta ſolutio.

Formula igitur Contractus compoſita, Ginus Capponius Florentini populi nomine Piſanam arcem accepit, illamq; ut in mandatis habebat, Laurentio Raffacano vexillum unius Florentinæ tribus gerenti cuſtodiendam reliquit, ipſe verò ad Ripam fractam profectus, cujus quoq; Oppidi Arcem ex Pacto accepturus erat, cum eò perveniſſet, & ſolvere arcis Præfecto pecuniam, ſicuti cum Gabriele convenerat, voluiſſet atq; arcem accipere, Præfectus aſſentiens primo, deinde negans, poſt modum ſe daturum affirmans, craſtina ſpe plures dies protraxit rem. Tandem verò cum arcem tradidiſſet repertus in ea

eſt

eſt Johannes Scriba, cui Minalcommetta fuit cognomen, homo callens aſtu, quem Piſani miſerant ad diſturbandum res, ob quam cauſam Præfectus procraſtinando non tradiderat ſtatim arcem. Reliquis igitur ſervatis omnibus hic ſolus è ſumma Turri præcipitatus interiit. Piſani ſuæ Urbis venditionem indignè ferentes, ſtatim ſe ad oppugnandum arcem præparant; Vallo, foſſaq;, & circumductis impedimẽtis illam prius cinctã nocte dieq; è machinis jactis lapidib. percutiunt. Qui incluſi erant homines, ex agro tumultuariè acciti, & bellorum ignari, celeri deſperatione rerum ſibi ipſis diffidunt, & crebros ictus formidant. Murus urbis Arci junctus, angulum faciebat, quo in loco conjectus arcus adverſos parietes jungebat; ſupra arcum murosque Turris erat erecta, quæ angulum quadrans mœnib. arcis ſua ſummitate præſtabat. Per deambulatoria, quæ circuibant arcis mœnia, patebat in turrim aditus, & inferius portula claudebat è Turri exitum ad deambulatoria Urbis mœnia cingentia; Turris cum arce tenebatur,

 ipſam-

Digitized by Google

ipſamq; veluti infirmiorem arcis partem Piſani crebris tormentorum ictibus propulſabant. Qui illam tenebant, quoties cunque advertebant in ſe majores lapides machinis projici, Turrim relinquentes in arcis mœnia currebāt & percuſſo ictu ſtatim revertebantur in Turrim; Piſani ſæpius Cuſtodes idem facere cernentes, arbitrati ſunt hanc facilem eſſe arcis ingrediendæ recuperandæque viam: In inferiorem igitur Turris portulam, qua erat in mœnia urbis egreſſus, validioribus pluribus ſimul bombardis onuſtis dato igne crebris ictibus Portulam frangunt, & præparati antea milites ſecus urbis mœnia deambulatorium celerrimè intrant, & prius Turrim aſcendunt, quam timidis cuſtodib. qui ſolito more per mœnia arcis confugerant, fuerit redeundi celeritas. Patefacto per Turrim aditu Piſani ſubitò ſeſe per Arcis mœnia paſſim & ubiq; diffundunt; Incluſos pro cuſtodia milites partim obtruncant, partim verò capiunt; Reliquos præſentia facti conterritos, & ſibi ipſis diffidētes ad deditionem compellunt. Itaq; unâ

eadem-

eademque die elaborata tot temporum ſpès, ac tandem empta poſſeſſio, evanuit. Delato Florentiam repentinæ fœdæque amiſſionis nuncio, Florentini populi & Reipub. dedecus magis, quam Piſanæ arcis amiſſio Civium animos comprimebat. Creber erat per urbem rumor varia jactantium; quidam in Custodes acrius invehebant; quidam Piſanorum audaciam virtutemque extollebant: nonnulli negligentiam magiſtratus, cui belli cura demandata fuerat, damnabant: Alii imparem numerum cuſtodię tantæ arci præpoſitum fuiſſe culpabant, & ut in re malè geſta evenire ſolet, ita variæ jactabantur calumniantium ſententiæ. Erant qui indignatione commoti tumultuariè in Piſanos erumpendum eſſe cenſerent. Graviores viri facilę dicebant eſſe bellum ſuſcipere, periculoſum proſequi; variam fortunam & futurum incertum, neq; temere ſe fortunæ caſibus committendum, ſuſcipere namq; bellum quisq; poterat, reprimere verò ruinam urbis & pacem efficere ſoli victori datum. Inter hæc quinq; Cives

Digitized by Google

quorum Piſis pollebat auctoritas, Florentiam legantur: placuit igitur priusquam quicquam fieret exſpectare, quæ verba facerent. Proximis inde diebus cum Florentiam deveniſſent conſtituto tempore coram majoribus magiſtratib. & Florentinæ Reipub. Patrib. in hunc modum verba fecere. Si à natura datum eſſet, ut ſuis homines contenti opib. eſſent, quemadmodum ſua contenti ſunt ſapientiâ, raro quidem eſſet & à paucis violata juſtitia. Sed quia ſatis nobis ſapientiæ videtur ineſſe quantulumcunq; ſit, opes verò in infinitum optamus, factum eſſe reor, ut & potentiam & alienas opes appetamus. Credimus tn. Florentini Cives, vobis tãtum prudentiæ & judicii ineſſe, ut cognoſcatis, quam inhumanum, & contra juſtitiam ſit alienum non ſolum appetere, ſed fraude occupatum, vi & armis tenere. Audiſtis quia ſcriptum eſt, non deſiderabis rem proximi tui, vos autem non ſolum deſideratis, ſed abſtuliſtis. Quis eſt enim proximior quam vicino vicinus. Vos tn. vicini noſtri, & longo ſpatio agrorum finib. juncti,

ẽti, ita noſtra deſideraſtis, ut urbis noſtræ arce occupata urbem ipſam agrumque, cum honore, potentia & dignitate noſtra occupare conaremini. Quæ qualia & quomodo ferenda ſint veſtro judicio mandamus. Lex belli ac militaris eſt, ut etiam in hoſtem ſit fides ſervanda, & virtute non fraude cum hoſte certemus. Vos tamen non hoſtes ſed vicini, & ut reputabamus amici per ſubductionem & fraudem nobis omnibus inſciis, nos & noſtra emere, & veſtræ ditioni ſubjicere quæſiviſtis. De hoc maximè, de hoc Florentini cives cordis mente dolemus, & hoc ſine ulla juſta cauſa factum eſſe maximè condolemus. Vos autem orate, ne vobis tale aut par malum eveniat. Piè enim credendum eſt, quod Deus ipſe, qui videt in abſcondito, in abſcondito reddet vobis. Nos religioſè quidem & ſanctè credimus recuperationem noſtræ arcis tam celeriter & ſine percuſſo, ut ita dixerim, enſe à nobis factam non ſine divino factam eſſe miraculo; ut eorum, qui per ambitionem adeò iniquè ſe exaltare procurabant, publicè irrideretur ignavia.

Digitized by Google

via. Juſtus quidem eſt rerum contributor DEUS, apud quem nunquam impunita cauſa remanſit, nec eſt per futura ſecula remanſura. Nolite igitur exſpectare Florentini Cives, quod Deus contra veſtram voluntatem provideat, ſed offerte, & reddite ultrò quæ noſtra ſunt, ut ſiquidem veſtri Cives in nos quondam injurioſi fuerũt, bene tn. inſtitutam habere Rempub: demonſtretis. Nihil eſt enim magis benè inſtitutæ Reipub. conſentaneum, quam juſtitiam ſervare. Nihil eſt magis conſentaneum juſtitiæ, quam ſuum dare cuiq;: dare nemo juſtè poteſt, niſi det voluntariè; voluntas igitur veſtra ſit, quæ veſtræ Reipub. dignitatem & nobis noſtra reſtituat. Dum adhuc Piſanorum Caſtella in veſtris manib: reſtant Ripa ſcilicet fracta & Caſtellum S. Mariæ, quæ quam æquum ſit nobis reddere, certum facit inquitas retinendi. Noſtra igitur injuſtè à vobis occupata, juſtè repetimus, & certè confidimus obtinere ſi juſti eſſe vultis. Nam injuſta à juſtis occupari non decet; Quæ ratio velit certum vobis eſt: nolite per ambitionem errare, nam

ani-

Digitized by Google

animus non facilè verum proſpicit, quando dominatur ambitio & quæ per ambitionem nequiter facta ſunt puniri curat Deus. Ideoq; conſiderate varietatem fortunæ, & cavete ne aliquando vobis dicendum ſit, jure plectimur: Niſi aliena injuſtè occupare voluiſſemus, nunc de noſtris non dimicaremus, quod ne eveniat oramus. Contenti eſtote finib. veſtris, & ſi in iſtis paucis diebus, quibus noſtræ urbis arcem tenuiſtis, in ejus reſtaurationem aliquid contuliſtis, quod parum quippe fuiſſe credimus, id tn. totum ſperamus Piſanos vobis liberè reddituros.

Ubi ea Florentini accepêre, Patres ſinguli alteros intuebãtur; fuiſſe verba faſtidii plena omnib. videbatur, & tanta ſtatim commutatio animorum inceſſit, ut & qui antea maturius deliberandum eſſe cenſerent, in tantam indignationem devenerint, ut potenti exercitu in Piſanos eũdum, nec niſi illis victis ſumptui parcendum eſſe conſulerent. Collatis demum inter Patres ſententiis unico ore legatis licentia datur; nec multos poſt dies domum diſcedebant.

Digitized by Google

Inter hæc Magiſtratus ſupplicio rerum capitalium Laurentium Raffacanium, & reliquos Florentinos, quibus Piſanæ arcis Cuſtodia demandata fuerat condemnavit, Decem per idem tempus Viri ſuperiorib9 populi ſuffragiis ad belli curã delecti, cum civium animos in Piſanos erectos eſſe viderent, quæ bello uſui ſolent eſſe, properè curãt: milites deligere ſcribereq́; equos arma, & cætera belli inſtrumenta parare maturant. Bertuldum Urſinum præficiunt Exercitui ducem, Commeatus cœteraq; opportuna parant. Quib: omnib: affatim proviſis, Bertuldus cum Exercitu in Piſanum agrũ profectus, Caſtellum juxta balnea Piſani montis pro præſidio poſitum cepit, diripuit atq; vaſtavit; Inde Vicum Piſani agri nobile oppidum caſtris poſitis circumſedit. Affirmans Piſanam Urbem Florentinis facile cedere, ſi prius Vicum cepiſſent. Sed quia Oppidum erat ſui natura munitũ & hyems aderat, difficile militibus tempus, non ſine obſidentium calumnia in longum protracta obſidio eſt. Stantibus ad Vicum caſtris, fuerunt qui

per

per noctis ſilentia milites arcem Piſanam ingredi poſſe & illam occupare perſuaſerunt, & tanta eſt illis adhibita fides, ut Rainoldus Gianfiliatius & Chriſtophorus Spinus equites Florentini, duo è decem viris bello præfectis Piſas cohortes adducerent, qui cum ad locum deveniſſent à Cuſtodibus detecti infecta re rediere. Per idem tempus Piſani his anxii curis, ubi intellexerunt, ſeſe armis defendi opportere, ſoliciti ad res ſuas componendas cuncta quibus in bello opus eſſe ſolet, parare feſtinant. Primo igitur cives omnes ſuos ſub Gabriele Principe exilio damnatos in Urbem reſtituunt; diverſæ præterea factionis homines, quibus infecta civitas diutisſimè manſerat, unire conantur. Cujus rei gratia ſicut in ſupplicationibus ſacris fieri ſolet, ita communionem Corporis Chriſti, publicè ferè omnes Piſani Cives ſimul ſumpſere; jusjurandum præſtantes pollicentesq; ſuam libertatem & popularem ſtatum bona fide tueri & urbem totam defendere. Legitimas inſuper nuptias quidam diverſarum factionum Principes inter ſe contraxere

Digitized by Google

xere, & alia quædam fidei & conjunctionis ſigna fecere, quibus domi proviſis, equites in ſui tutelam undiq; per Italiam conducere requirebant. Primò igitur quaſi ſubſidiarii, cum per Peruſinum agrum in Senenſem & Sartianum oppidum deveniſſent, à Florentinorum cohortibus, quibus injuncti fuerant Romani Pontificis Equites ex improviſo invaduntur repentinoq́; ſtatim metu perculſi diſſipantur. Magna eorum pars capta eſt, reliqui fugâ ſalutem quærẽtes abierunt; ſic igitur fruſtra ſperata fuit hæc Piſanorum prima proviſio. Majori igitur equitatu mercede deinde conducto illum per maritimam oram Piſani ducebant. Adverſus eos Florentini miſerunt Sfortiam Cautisſimum Equitum Ducem, qui cuncta quæ agebant, accuratè edoctus, in Campiliæ finibus, eorum interſepſit iter repenteq́; poſteros ſecurè & ſine ordine poſt primos vadentes aggreſſus omnes fudit. In quo prælio multi ſunt capti, major tamen pars, ubi ſuos inferiores videt, ex conſulto captivos dimiſit. Quorum ducenti ferè equites Guſpare Pactio Duce

inte-

Digitized by Google

integri ſunt Piſas ingreſſi, reliqui omnes vanum ſuum iter fecere; Sfortia videns quamplurimos per vicina loca aufugiſſe, ne convenire & proſequi iter facilè poſſent, ſimulq; ut frumenti & cæterarum rerum opportunitatem impediret, ad cuſtodiendum ſuorum relicta manu, in Florentinorum caſtra revertitur. Dum hæc foris à Piſanis gerebantur, intra Urbem nequaquam quieta erat res. Poſt libertatem nuper expulſo Tyranno receptam, Piſani titubantem & ſuſpicionib: plenam rempub: retinebant; nec ſatis conſtabat, qui Cives vel qualis Magiſtratus præeſſet. Præficere quenquam non conveniebant voluntatibus propter factionum ſtimulos adverſantibus. Per hunc itaq; modum aliquot menſes producta res eſt, donec Johannes Gambacurta, cujus tandem factio prævaluit, cum publica poteſtate in populi rectorem aſſumitur. Quam autoritatem ubi in ſe delatam videt, primum ſpe, mox metu anxius ea animo moliri cœpit, quib9 ſuæ partis homines fidos firmosq; faceret, cæteris verò formidoloſus exiſteret; Hæc ſecum

agi-

agitans ex re fore credit, ſi diverſæ factionis Principes per dolum necarentur. Quod cum tentaviſſet, & non ſine periculo tardius procederet, ſtatuit quovis modo inceptum perficere. Præparatis igitur prius in ſui Cuſtodiam militibus, Principes quosdam magnos alienæ factionis viros capere, & non multò poſt interficere mandavit: quod mortis genus illis intulerit adhuc incertum eſt; creditur tamen eos parva Navicula per noctis ſilentia delatos in altum merſiſſe. Poſt cujus facinoris formam formido omnes eorum ſectatores invaſit, ut præ metu nihil dicerent, neq; facerent contra ea, quæ Gambacurta volebat.

Per hunc igitur modum ſua factio præpotens facta, ille jam re quaſi Civitatis dominus cuncta ſuo arbitrio miniſtrabat: In qua re latisſimè patet, quam ſit infida regnandi cupiditas; cum illi ipſi, qui iisdem dieb. ſanctiſſimo ſumpto ſacramento ſe ad unionem & libertatis defenſionem ſub religioſiſſimo juramento obligaverant, jam nefariè ſuos perdiderint Cives, & proſtraverint libertatem, ſed difficile certò eſt regnan-

Digitized by Google

gnandi gratia ſocietatem & inviolatam fidem ſervare; præcipuè cum ſit infinita humana cupiditas: Sed Vana quidem eſt hominum ſpes, & noſtræ ſunt cogitationes inanes. Poſtquam in Gambacurtam tanta eſſet delata licētia, multæ plures eum invaſerūt curæ; & pericula longè majora ſedulò illum premebant, & undiq; erant anguſtiæ, donec bello & fame ad extremam calamitatem cum univerſo populo adductꝰ, civitatem tandem amiſit. Imminente igitur Piſanis futuræ famis metu, miſerunt in Siciliam naves ad frumentum importandum. Florentini omnem maritimam opportunitatem illis impedire volentes, Cuſtodes maris ſedulò deſcribebant. Accelerantes itaq; Piſani, quantulumcunq; poſſent frumenti feſtinanter præmittere, onuſtam frumento navim deducebant, quæ cum non longè à Piſano portu navigaret, ab altera navi, quam jam Florentini paraverant, invaditur & in fugam ſtatim verſa in Vadæ Portum ſe recepit, ſperans à Cuſtodib. Vadenſis Arcis poſſe defendi, qui illam certò haud impigrè defenderunt, ſed

Digitized by Google

ſed Florentini ſe invicem hortantes non minori audacia perſequebantur. Horis tribus in eo portu duravit pugna, tandem Petrus Maringhius Florentinus, in judicio capite olim damnatus, promereri gratiam exiſtimans, inter confertisſima tela ignem nando portans, frumentariam navem exurit, & tribus tn. acceptis vulnerib. ad ſuos tale facinus pro miraculo intuentes revertitur, à quibus diligenter curatus publicà ſtatim lege ſua eſt capitali damnatione ſolutus. Dum hæ fierent Bertuldus ad vicum continebat caſtra, nihil ad oppugnandum reliquum faciens: nam variorum operum machinationumq; genera, inſtrumentaq; ingentia pondera jacientia plurib9 locis erexerat, & quaſi belli eſſent fulmina die noćteq; oppidum impugnabat: inſtrumenta quibus utebatur, erant bombardæ non multo ante id tempus in bello notæ & celſæ inſuper machinæ Turrium more ædificatæ nec antea noſtris hominib9 cognitæ. Qui in Florentinorum caſtris primò illas erexerant ab externis Cisalpinæ Galliæ montibus homines Briccolas appellabāt, qui-

quibus incredibilia pondera jaciebant. Ejus forma hæc erat, Duæ quaſi protenſæ alæ eminentibus pennis ſua ſummitate perforatis in altum erigebantur; Teres jugum per ea foramina immiſſum ſummas jungebat & colligabat pennas, prælongus deinde malus medio jugo æquè ſuſpenſus librabat pondera, imò capite erat funibus & bovino tergo conſertus, quaſi funda pondera jaciens. Aderat cum altero capite ſinus longè majoris ponderis capax, qui perpenſiſſimo ſuſpenſus ſuſtentaculo lapidibus replebatur, donec valdè prægravaret pondera fundæ; Deinde repente dimiſſo ſimul tanto impetu levabat projiciens quæ erant in funda, ut asſvetis etiam in bello terribile foret & mirabile viſu. Varii præterea generis machinamẽta Turres, baliſtasq; comparaverat, quibus tot magnos lapides in obſeſſos projecerat, ut nulla penè eorum domus illæſa remanſerit, quin aut refracta vel perforata fuerit, & nõnulli quoq; oppidani perempti. Nec interim tn. incurſionibus agrorum pepercit; nam & prædas ſæpiùs egit, & undique per

Piſa-

Piſanum agrum arméta, greges captivosque collegit, ſperans patrare poſſe facile bellum & civitate potiri, ſi eo oppido potiretur. Cæterum ſua unius cujusque voluntas ignorantiaq́; nonnunquã magis quàm verum aliena geſta ex libidine moderantur & judicant.

Florentiæ tunc Plebs, omneq́; vulgus, opificesq́;, qui Vicum ſtatim aggresſi deditionem in obſidionis principio crediderant, cum id asſequi non viderent culpare Bertuldum cæperunt, quaſi prolatandi belli gratia, oppidum, loco, operib. atque cuſtodib. munitisſimum, obſideret, ut Piſanis daret præparandi ſpatium, quæ uſui forent; His vocibus percullſi magiſtratus, & maximè ne collatio pecuniæ, quæ per tributum ex privato conferenda erat, difficilis fieret, Bertuldo depoſito Obitium Garulenſem virum procul dubio Florentino populo fidum, eundemq; exercitus & belli Ducem dixere. Hæc primo hujus belli anno geſta fuere: Qui ſequutus eſt annus longè majores res continebit, nam obſesſi, obſidentesq́ue pertinacius proſecuti ſunt

bel-

Digitized by Google

bellum, donec, poſtquam in humanos fœtidosq; cibos, & horrenda hominibus animalia ſuſtentandæ vitæ neceſſitate obſeſſi Piſani voraverant, extrema tandem calamitate coacti in Florentini populi poteſtatem venêre.

Advenienτe igitur hujus anni principio, Florentini ad proſequendum bellum intenti, decem novos decrevere Viros, quibus belligerandi cura ineſſet. Hujus deſignatio Magiſtratus facta eſt ante tempus, ut eſſet illis ſpatium cogitandi, quæ eſſent ſuo ſibi tempore peragenda. Menſes tamen duos continuabat decemviratus præcedens; in quibus unà de communi proviſione ſæpius cogitaverunt. Sed poſtquam venerunt Martii Calendæ, in quibus ad novos Collegas deferebatur poteſtas, quid in re maximè eſſet agendũ, ſæpè multũq; ſcrutati decreverũt, non aliorũ more, neq; per obſidiones locorum agrorumve incurſiones & prædas inimicos bellare, ſed urbem ipſam veluti caput, quò extincto haud vivere membra poſſent, oppugnare & vincere. Concepto inde ad tem-

R pus

pus occultato, tria præcipuè ad id patrandum fore neceſſaria cenſuerunt: primo nè frumenti inopia, quam Piſani continuò lenire procurabant, aliquâ in parte levarentur; quod ut fieret indigebant ſecundo: id erat, ut poſitis caſtris urbem cingerent, & Maritimum Arni Oſtium, flumenq; ſimul cuſtodirent. Quæ ut tutius fieri poſſent, opus etiam erat tertio; quod fore judicabant curare, nè per mercedem conducta militum auxilia tutarentur: quibus omnibus intenti, unò tempore cuncta navabant. Armis in Italià duo ea tempeſtate prævalebant; Ladislaus Apuliæ Rex, & Otho tertius apud Reginos, Parmenſesq; potens equitum Dux. Ab utroq; impetratum eſt, ne præſtarent auxilia Piſanis: cum Rege conventio facta eſt, nè ſe reb. immiſceret Etruſcis, & ſuo incepto contra Romanam Urbem, quam occupare conabatur impedimento Florentini non forent. Otthonem obligarunt pecunia, ne ſtipendia militiamve invitis Florentinis ſuſciperet: Quæ uti conventa fuerant, ita fuerunt plena fide ſervata; quibus reb. ita

actis

Digitized by Google

ſactis jam aderat ver, & Florentini in ſpem victoriæ adducti, omnia properè parare ſtudent, quæ ad obſidendum Piſanam Urbem fore opportuna cognoſcunt: & ne Vicenſem obſidionem ſolvant, ſed obſidente Obizo Vicum, ſit qui Piſas quoque obſidere poſſit, Lucam Freſcanum Genuenſem alterum deligunt militiæ Principem, ſub quo quam maximas omnium generum auxilii copias, conducere parāt, & cætera om̄nia, quæ militib9 & obſidentibus caſtris uſui eſſe ſolent, adeſſe impigri jubent. Duos præterea è Decemviris Maſum Albitium, & Ginum Capponium præficiunt, ut foris arma atq; caſtra curent; qui in agrum Piſanum ſtatim profecti, cum ab externis periculis tuti eſſe viderentur, relicto ad obſeſſum Vicum Obizio Duce, & tot ſolummodo in caſtris, ut continere incluſos poſſent, cæteros omnes cum omni reliquo equitatu peditibusq;, quos in hibernis per loca Piſanis infenſa tenuerant, in unum exercitum conduxere. Novos inſuper deſcripſere milites, multosq; præterea mortales, jumentaq; uſui & neceſſi-

 tudine

tudine opportuna rerum comparaverat. Qui ſimul in Caſcinenſi agro congregati fuerunt ad quinq; equitum millia, pedites vero bellatores ſupra millia ſeptem, & magna inſuper agricolarum operariorumq; multitudo, qui artibus & operibus miniſteriisq; inſtarent bellicis. Cum his etiam frequentes aderant, quos ſpes aut lucrum illexerat. Hi unà omnes poſtero die inſtructis ordinibus veluti dimicandum eſſet, ex eo loco duobus paſſuum millibus Piſas transgreſſi inter ſacras Petri Graduenſis ædes, & ripas Arni fluminis metati ſunt caſtra. Primo eorum adventu tanta fuit alimentorũ inopia, ut exhauſtis penè non tantum humanis omnibus herbis, verum & ſylveſtribus baccis perdifficile fuerit per aliquot dies milites continere. Hæc difficultas facta eſt temeritate curatorum, qui ex Genuenſium littore Liburnoq; oppido præfectis Caſtrorum ſcripſerant, quæ ad victum opportuna forent abundè curaviſſe; ſed adeo longè res diverſa literis fuit, ut pauci ſolummodo panes Liburno veherentur. Hac igitur neceſſitate coacti

exer-

exercitus Ductores cogitarunt exercitum reducere & commeatibus providere, deinde ad locum redire. Inerant tamen huic conſilio difficultates minimè negligendæ; primoq́; indecorum videbatur, & contrarium militum audaciæ, quam in obſeſſos totis animis præ ſe ferebant. Bonam inſuper ſpem videbatur obſeſſis præſtare, & de his opinionem dare cæteris omnibus potiorem: ſed longè periculoſius eſſe putabant, ſi interim importato frumento replerentur; quod ſi eveniret, diutinum bellum & dubiam victoriam verebātur. Quibus rebus anxii conſtituerunt potius paucorum dierum penuriam ſuſtinere quam incœpto omiſſo fœdè diſcedere. Viatores igitur impigrè ire jubent, qui ex oppidis, agroq; Florentino ac etiam ab amicis viciniſq́; omnib9 coqui panem parent, & celere vectum præmittant. Frumentum deinde & cætera militibus neceſſaria undiq; importari curent; idem Florentiam ut ſedulò fieri jubeant, per literas nunciant. Per Romanum etiam & Genuenſe littus impunitatem omnibus dant in Florentinum

Exercitum cibum aliumvè commeatum importantibus & idem per præconem in Exercitu publicant; unicuiq; impunitatem & licentiam vendēdi quantum vellet præſtantes. Tanta itaq; proximis diebus mutatio facta eſt, ut ex maxima inopia ingens frumenti copia provenerit. Frumenti igitur difficultate ſublata & munitis toto loco caſtris, Florentini ripas fluminis cuſtodire & aditum claudere decrevere. Duo igitur præſidia adverſa Arni littoribus firmant & ſuper palos ligneum pontem imponunt, qui ad præſidia cōmunem tranſitum faciat, & iter per flumē claudat. Dum electa præſidiis loca aggeribus muniunt, ut celerius extollerent opus, ſuburbanis dirutis juxta ſuperiorem amnem vicis, caſarum trabes tignaq́; flumini dabant. Collectores inde & pontem præſidiaque inſtruebant, tantaq́; fuit lignorum vis, ut navato fluminis opere militaribus quoq; tabernaculis inſerviret. Inter hæc Gaſpar Pactius, quem cum Equitibus Piſas ingreſſum oſtendimus, timens, ne equi fame perderentur, publica obſidentium imprecata

cata fide cum omni ſuo equitatu abivit ex Urbe. Intentis ad obſidendum animis, & impigrè incepta curantibus nec dum firmato ponte, nec communitis præſidiis, quinque incurvæ naves, quæ è Sicilia Piſas frumentum portabant, una cum ſeptem longis navibus in eorum tutelam armatis in Portum venere. In eodem portu Florentini Claſſem habebant navium ferè totidem; quas cum viderent Piſani, audisſentq; terreſtrem exercitum flumen cuſtodire, non ſunt auſi oſtium intrare, niſi prius navali prælio cum noſtris decernerent. Conſtituto igitur tempore, cum jam diei pars maxima proceſſiſſet, inſtructis navalium ſociorum agminibus Piſani noſtros adoriuntur. Spectaculum penè vagum fuit, & potius proſequentibus quam decernentibus ſimile; proſequentibus enim alteros alteris par ferè iter omnes in altum fecere, donec proſpectum navium prius ſubripuit nox, quàm voluerit cominus prælium iniri. In eadem nocte atrox ventorum ſequitur vis, quæ Piſanos in Veneris impulit Portum: Florentini vero in

 Piſa-

Piſanum rediere. Luceſcente die cum ligatas in portu naves noſtri viderent, rati ex ventorum impetu, ſi ligamenta inciderentur, naves perditum iri, vi atq; minis illas aggrediuntur. Ductores navales, quia mercenarii erant, & non erat frumentum proprium, cum in metum ingentem veniſſent, & Piſanos nusquam adeſſe viderent, ſtatim convenere ut accepta vecturâ frumentum darent, & ſuis omnibus ſalvis tutè diſcederent. Hæc frumenti copia tanta fuit, ut non ſolum Florentinorum milites verum etiam equos cæteraq; jumenta menſes aliquot paſceret. Poſtquam Piſis hæc cōperta ſunt, ingens deſperatio cunctorum animos cepit, quaſi quocunq; adverterent, res contrariè evenirent; Principes Civitatis ſpem vultu ſimulabant, dolorem in pectore comprimebant: reliqui verò & præcipuè quibus nullæ erant opes, plus publicè complorabant, voces & manus ad cœlum porrigentes orantesque, ut propediē Deus illos ea obſidione liberaret. Verum ſæpius virorūm Virtute, quam hominū votis ſupplicib9 ſalvæ civitates fuere.

Nec

Digitized by Google

nec ſolum pauperum votis, ſed divitum collatione atq; opulentia populorum auxilia parantur. Piſani inter ſe malè concordes nec tributum perſolvere nec externa ſubſidia parare aſſentiebantur. Qua pertinacia factum eſt, ut pleriq; univerſas res ſuas amitterent, quia earum partem expendere noluiſſent; cum eſſent his anxii Piſani curis, circa JuniiCalendas continuatis imbribus Arnus immensè eſt evectus, quam opportunitatem ipſi nacti, eradicatas arbores, innexasque & contextas præmittentes trabes, magnam poſt illas lignorum ſtruem medio fluminis impetu conjecere, quam omnem multis undis vectam atque convolutam materiam ſimul cum fluminis raptu ad novum põtem impulit fluctus, tantaq; in eum, nondum ſatis ſuſtentaculis firmum ſuperingeſta eſt lignorum perplexa congeries, ut fluminis meatibus clauſis, cum aquarum pondus illa coacervatio amplius ſuſtinere non poſſet, unà pons, lignorumq; mons & pelagꝰ dilabuntur. Inter hæc quidam è Piſtorienſi agro milites opportunitatẽ ſecuti gravio-

 ris

ris cæli ad Portas Urbis prædatum vagantes capiuntur. Hos interrogantes Piſani cognovere Pontem cum flumine abiiſſe. Arbitrantes igitur trans Arninum præſidium velocitate pleniſſimi amnis ab exercitu fore diviſum, idq; parum cuſtodibus fidum, quia nec ſatis roſtratum adhuc nec vallatum fuerat, idem humo coæquare cogitarunt, antequam navigabiles fierent fluminis vortices. Convocato igitur ſtatim populo, urbe tumultuariè egrediuntur. Itineris Ductor erat Cola Mattus, qui paucis mercenariis equitibus cum Piſanis remanſerat, quando Gaſpar Pactius abivit ex urbe, reliqui omnes, populus erat imbellis. Cola nihil periculi eſſe in eo negotio ratus cum ſuis equitibus antevenit, & cum non longè à loco præſidii gregem vaccarum inſpiceret, cupiditate prædæ adductus, illas verſus urbem convertit, putans populum per ſeſe deſertum præſidium facile poſſe deſtruere. Populus nullo remoratus periculo aviditate perficiendi temerè ſequebatur. Cæterum dum ea res agebatur, idem veriti Florentini, de ſalute præ-

ſidii

ſidii in exercitu conſultabant, nec deerant, quib. videbatur, paucis admodum militibus, qui in præſidii munitione remanſerāt, ejusdem disruptionem jubere. At Sfortia fortisſimus equitum ductor, ut cæteris audaciam præſtaret; Date mihi, inquit, præſidii cuſtodiam, & ſolus cum militibus qui in eo ſunt id vobis tuebor feliciter. Dato ei libenter negotio, uno delecto Comite & duobus equis naviculam cum illis ſolus aſcendit, & multo labore undis jactat9, uno tantum ſalvato equo, ad longè inferius littus applicuit. Tartalias verò alter equitum Dux æmulatione gloriæ: & ut ſua armenta, quæ ex variis collecta prædis in eodem littore habebat, ſalvaret, altera navicula ſubſequutus ad idem littus emerſit. Cum igitur Piſani adveniſſent, hi duo ſtrenuisſimi Duces cum pauca militum manu obvii fiunt: Exercitus noſter, qui in altero littore conſidebat, præparatis ordinibus & aciebus inſtructis in Piſanorum conſpectu ſecus Arni littus citato itinere ad urbem cōtendit. Piſani eodem tempore duos fortiſſimos Duces in ſe venire, atq; exercitum

ad

ad invadendum urbem contendere cernentes minimum tum ibi certaminis committunt: nam tanta illos ſtatim doli mali formido cæpit, ut certatim ad urbem feſtinanter confugerent. In fuga multi corpore feſſi & timore perculſi inter arbuſta vepresq; diffuſi latitarunt, quorum pleriq; à militibus, qui lenita unda flumen tranſierant usq; ad proximam noctem capiũtur. Vexilla etiam, quæ populus ſecutus fuerat, ſunt capta. Poſt hanc adverſam pugnam tãtus pavor ac trepidatio Piſanos pervaſit, ut nunquã auſi ſint portis exire, poſtquam res in urbe trepidas, & ingentem Populi metum Florentini cognovere, invadendæ urbis per aſcenſionem murorum bonam ſpem ſuſcepere. nocte igitur conſtituta tenebroſa cum expeditis cohortibus ad locum pergunt, & quam occultisſimè poſſunt in propinquis conſident umbris. Hora inde intempeſtâ exploratis omnib9 cum omnia ſub ſilentio inveniſſent, delecti ad negociũ milites ſcalis murum aſcendunt, & ut levius ſtreperent, modica armatura, & nudis pedibus vadunt. Cæterum

Digitized by Google

cum plerique jam aſcendiſſent, ut reliqui quaſi ſublato periculo repentè certarent aſcẽdere, ſtrepitu Cuſtodes civere. Cuſtodes igitur ad arma conclamantes totam civitatem movêre; ad muros ſtatim concurritur; Noſtri ut facilius aſcenderent, ſe invicem levant. Piſani firmioribus ſcalis expeditius vadunt, & ne obſcuro lumine ſuos ignorent, laternas & faces adducunt, lapides & tela ingerunt mulieres & pueri, qui ad locum acceſſerant flammas ſuſcipiunt. Poſtremo ubi cominus ſe milites ferire cæperunt, gladiis cernebatur, qui inſtarent acrius, qui ſauciarent audacius, fun derent, locumve tenerent enixius. Interim duellaris pugna connectitur inter audaciſſimos milites, & maximè ab utroque certatur, donec emunctis utriusq; viribus compliciti corruunt, & ſuppoſiti illic in humo moriuntur. Ferocia à militibus inde depoſita, cum abundè plures ſupervenirent Piſani, noſtri retrocedere, & per ſcalas certatim evadere cæperunt, accumulatisque in ſcalis catervatim militib. & implicitis ruentibus virorum globis pleriq; afflicti ſunt,

cti ſunt. Sic infecto negotio evanuit pôtiundæ Urbis ſperata hac agresſione victoria. Piſani poſt expulſos è mœnib. hoſtes noſtri militis lacerum corpus ad aſelli caudā per urbem traxere. Cujus deriſionis gratia è tracti militis cohorte milites plures Piſanos per varia tormentorum genera necavere. Poſtquam infecto negotio Florentinorum milites in Caſtra redierunt, Sfortiæ & Tartaliæ diſcordia jam pridem exorta reſumitur. Hi duo inter primos Duces habebantur, & inter ſe de Prioratu in Exercitu contendebant. In Caſtris uterque ſpectabatur fidus acceptusq;. Cæterum more ingenii humani invidia ex paritate orta eſt, qua irritante Tartalias condoluit in ſui perniciem Sfortiam venenum emiſſe; Verum an falſum id fuerit, nobis ſatis cognitum non eſt, Sfortia tamen contra decus ſuum tale facinus reputans orabat, ne ſe talis ſceleris accuſaret, nec ſuſpectum haberet. Dubiis inter ſe atq; certantib. illis, Maſus & Ginus, qui Exercitui præerant, caventes, ne Caſtrenſis ſeditio oriretur, illos placare conabantur, indignum fore

re perſuadentes, ſi ex privata ſuorum Ducum contentione in Florentinum populum detrimentum ſequeretur. His verbis placido ore uterq; reſponderat. Tartalias tn. ultum ire injuriam ſecum conſtituebat; Impediente tn. metu occaſionem ſervabat; compoſitis per hunc modum rebus, Maſus & Ginus Florentiam ad Collegas rediere: Vierius Guadagnius & Jacobꝰ Ganfiliatius ad Caſtrorum curam mittuntur; Mutatis igitur Caſtrorum Legatis Sfortia & Tartalias ſive nova exorta cauſa, ſive quia illis nullam obligaverant fidem contentiones reiterarunt, & adeò exarſere animo, ut magna ſuſpicio fuerit, ne militarem tumultum excitarēt; Ob quam cauſam Ginus Capponius, cujus præſentiam ambo verebantur, in Caſtra reverſus, perturbatos eorum animi motus iterum delinivit, metus tn. remanſit, ne qua ex hoc negotio ſeditio oriretur, & maximè quia Duces militesque diviſi uni vel alteri ſeorſim inhærebant. Eadem tempeſtate contagio maxima fuit in Caſtris; primo ingens muſcarum ſuperabundavit copia,

veluti

Digitized by Google

veluti ſeminatorum cuncta replens; pulices deinde & pediculi, tantaq; ranarum ac murium multitudo, ut ſordidis etiam agreſtibusq; intolerabile faſtidium videretur. Cum iis aderat magna vis æſtus, & tanta temporis ac loci corruptio, ut validiora etiam corpora inficeret; Febres poſt hæc ſequutæ ſunt, & tanta militum invaletudo, atq; debilitas; ut paſſim proſtrati jacerent. Ad curandam igitur valetudinem, & ſeditionem tollendam, urgendamque enixius civitatem, rati ſunt novam inducere belli formam; communitis itaque ad integrum præſidiis, ponteq; reparato & valida catena, quæ perpendiculariter tenſa ab aqua trabib: levabatur, munito, milites ad Cuſtodiam in illis locis abundè reliquerunt, & præter eos validam manum permanere jubent, qui itinera utriusq; littoris infeſtent neminemq; præterire, ne quidvè importari ſinant. Cum omni reliquo Exercitu Piſas prætergreſſi trium milliū ſpatio Sfortiam cum minori equitum peditumq; parte in Septentrionali Arni littore collocant. Minor pars eo in loco diſtributa eſt opportuni-

tunitate caſtrorum; qui in eodem littore ad obſeſſum Vicum ſeduló conſidebant, & rebus communib. inſervire percómodè poterant. Tartaliam & cæteras omnes copias contra in adverſo littore firmant, jactoq; ſuper ſcaphas ponte communem caſtrorum aditum faciunt. Pluribitaq; locis diſtributo exercitu cùncta mœnia circumveniebant noſtri, majoriq́; obſidione civitatem urgebant, & die nocteq́; ad portas infeſti prædabundiq; imminebant. Trepidi contra Piſani quocunq; intenderant, res adverſæ erant, & ad malum pronæ infeliciter ſuccumbebant. Quibus difficultatibus anxii cum eſſent, ſpes unica erat murorum cuſtodia, & diuturno bello ita Florẽtinum populum fatigare, ut militum tædio, & tributorum ſolutione agitatis civibus pacem tandem darent, quibus conditionibus vellent. Hoc rato conſilio Johannes Gambacurtius, qui in civitate quaſi dominus præſidebat, ut diutius ſuſtinere obſidionem valeret, ſtatuit inopes omnes atque imbelles extra civitatem mittere, exiſtimans paſtum, qui ſupererat, longiori

tempore remanentibus ſubvenire; Multi poſthæc mortales, quibus opus non erat, abire urbe ſunt juſſi, quorum pleriq; tenuiſſimo victu anxiè antea ſuſtentati elevatis ad Cœlum manibus emigrabant. Cæterum victores noſtri Exercitus, animadvertentes idem, quod intendebant obſeſſi, præcone publicarunt vitæ ſupplicium captivis omnibus Urbe profectis; quorum nonnullos primò locis editioribus in conſpectu civitatis palàm ſuſpenderūt laqueo: quoſdam verò necatos & in naviculis poſitos ad ſuos cives flumine duce mittebant appoſitis ſcriptis, eandem mortem edicentibus cæteris urbe exeuntibus. Dum ea agerētur, nihilominus vi ac minis emittebatur plebs & cuncta ea tempeſtate, neceſſitate victus magis quam pietate Piſani moderabantur. Florentini tamen etiam in hoſtes nolentes crudeles eſſe, mitigarunt numero pœnā nec amplius morte illos, qui in poteſtatem veniebant, proſequebantur; cæterum fœminas circumciſis ad umbilicum veſtib: extremitateque interdum naſi reciſa, mares vero nudatos

&igni-

Digitized by Google

& ignito nonnunquam ferro ſigillatos, verberibus repellabant ad urbem, & ſi qui pertinaces remanſerant, ratibus per ſuperiorem fluvium demittebant, qui ripis civitatis appliciti, potius cuncta ſuſtinere parati erant, quam in hoſtium manus redire. Duo fere menſes hæc pertinacia in obſesſis obſidentibusq; permanſit: in quibus ad extremam famis calamitatem Piſanus populus adductus, cujuscunq; generis herbas radicesq; & horrenda humano victui animalia glutivit, & nullus tamen exire civitate audebat. Continuò dum Piſæ obſidebantur, ad Vicum perſeverabat obſidio. Vicenſibus penuria inerat rerum neceſſariarum maxima. Eorum domus omnes ferè refractæ aut perforatæ erant ictibus magnorum lapidum, quos validisſimis noſtri projecerant machinis. Multi eorum capti, pleriq; occiſi fuerunt, afflicti omnes & ad necesſitatem deducti, ut ſe diutius tueri minimè potuiſſent: ſic igitur affectos, ex noſtris quidam Bientinenſes, freti vicinitatis benevolentiâ & impunitate impetrata, ubi primum opportunum fuerat, ac-

Digitized by Google

ceſſerunt, monueruntq;, ut ſibi liberisq; ſuis, oppidoq; aliquando conſulerent: Piſanos victos eſſe oſtenderunt, agrum vaſtatum, captos multos atque necatos, nullam reliquam ſupereſſe ſpem Piſanis, niſi ſeſe Florentinis in fidem credere: proinde ſibi provideant, & animo reputent, quanto cariores Florentino populo erũt, ſi tenentibus adhuc ſe Piſanis ultro in poteſtatem devenerint: His & ſimilibus aliisq; Vicenſes ſibi ipſis diffidentes & nullum ſubſidium ſperantes ad deditionem impulerunt: Bientinenſes accepta ab illis fide Florentiam venerunt, & per Maſum Albitium, cujus amicitia fruebantur, magiſtratum cuncta docent; Magiſtratus igitur Maſum delegit, qui Vicum profectus deditionem eo pacto accepit; ut niſi intra dies proximos decem à Piſanis ſubſidium haberent, oppidum Florentinis in fidem traderent, quod cum ſignificaſſent Piſanis, nec aliquid ſubſidii veniſſet poſt dies decem oppidum cõceſſerunt: quod Maſus poſitis ad Cuſtodiam militib. communivit. Recepto igitur Vico, militibusque in præſidio poſitis, cohor-

Digitized by Google

hortes quæ ad oppugnandum ſteterant in Caſtra venêre, auctoq; illis exercitu arctius Piſana civitas urgebatur; Rebus ſic ſe habentibus Piſanis nec frumentum nec aliud erat, quo ſuſtentare vitam poſſent; frugibus, cibisq; omnib. vacua atq; eraſa civitas, præbere nihil poterat, quod jejunis etiam avidis uſui foret: videntes ergo Piſani fortunas omnes ſuas in extremo ſitas, validos & pertinaces hoſtes, ſubſidium ſe expectare nullum, & fame protrahi bellum non poſſe, neceſsitate coacti cœperunt de conceſsione civitatis cum Florentinis tractare. Gaſpar Vajanenſis civis Piſanus ad patrandum negotium ſecretò mittebatur; In exercitu noſtro præerant Ginus Capponius pro decemviris, Matthæus Caſtellan9 & Jacobus Janfiliatius ad exercitus curam dilecti; præter hos miſſi quoque fuerunt, è decemviris duo Bartolomæus Corbinellus & Nicolaus Dauanzatus; cum his ſæpi9 per Gaſparem agitata res præbuerat perficiendæ rei ſpem, nihilq; ſupererat, præter dare negotii diem; Ita compoſitis rebus cum jam paululum noctis proceſſiſſet in-

Digitized by Google

tenſis per urbem flammis, & altè reſonantibus inſtrumentis igne lætitia oſtendebatur, qui exercitui præerant, dubii quid negotii eſſet intenti expectabant. Nocte tota nihil cognitum, albeſcente die Burgundiæ Ducis ſigna ſpectantur editioribus per urbem locis. Interea ejusdem diei hora miles facetus, ipſius Ducis curialis, in caſtra profectus, edixit ſui Ducis eſſe Piſanam urbem: Propterea ab inferenda injuria quisq; abſtineret è locoq; diſcederet. Paucis reſponſum ei datum eſt, Florentinum populum ſcire Piſanam urbem ad Burgundiorum Ducem non attinere; Duci ipſi familiæq; ſuæ Florentinos longè magis amicos, quam Piſanos ſemper fuiſſe, continuoq; easdem partes cum Duce Florentinos ſervaſſe, Piſanos vero diverſas; Ideo ſuo Principi diceret, Florentinos obſidionem non ſolvere, quia juſtum gerit bellum, & è re Ducis magis eſſe, Florentinum populum ſibi ſuisq; amicisſimum, quam Piſanos diverſarum partium Sectatores, Piſas tenere. Præfecti ita reſponderunt. Miles tn. tota die præambulavit caſtra cunctis edicens odium Domini ſui, niſi

diſ-

Digitized by Google

diſcederent, qua publicatione cum multum gravarentur, audaciores quidam noctę facinus tegente captum illum è medio ponte projecerunt in flumen. Fortè ligno alio vè ſuſtentaculo annando evaſerit incertum eſt; cæterum Florentiam venit deplorando caſum ſuum, verum ne de his rebus creber ſuſcitaretur rumor, ſtatim civitate emittitur; cum rediiſſet poſtea domum, & facta inſpectaq; commemoraret, Ducis animum in Florentinos movit, quo odio quidam Florentini cives, qui in ejus Provincia negotiabantur, injuria affecti ſunt, & bona illis adempta, inter quos Petrus Cambinus captus fuit & diutino tædio pecuniaq; mulctatus. Irrita facta Piſanorum deditione Florentini majore vi civitatem urgebant. Eo tempore noſtræ militiæ, Princeps, ut diximus, erat Lucas Freſcanus Genuenſis, quo cum multi Genuenſes militabant; Genuæ, ut ſupra oſtendimus Buccicaldus pro Francorum Rege regnabat: Verentes igitur Florentini, ne Rex à Duce gravatus Buccicaldo mandaret, ut ſuo Edicto ſibi ſubditos milites revocaret; Buccicaldo ipſo conſulente, & licen-

 tiam

Digitized by Google

tiam dante, omnes Genuenſes milites iterum obligarunt militiæ ſacramento, expreſſo in formula juramento; quod nullo mandato infra præſcriptum tempus è militia diſcederent: nec fruſtra facta eſt hæc obligatio: nam requiſitus de revocatione Buccicaldus ipſe militesq; obligationis jure liberantur. Hac acceſſione novarum rerum nihilo ſegnius Florentini civitatem urgebant, ſed auctis nocturnis cuſtodibus vigilantiꝰ obſervabant, ne ingredi aliquid aut egredi poſſet. Unde ſedulò indies magis ac demum penitus intolerabilis efficiebatur Piſani populi fames, donec extrema imminente neceſſitate, Johañes Gambacurta in civitate Princeps ſecundam Florentinis obtulit deditionem, cujus tractãdæ cauſa Bindus cognomine Bracha, Gini tabernaculum nocte intempeſta introibat, habitoq; colloquio nunquam incænatus abibat; orans inſuper panem unum, penuriæ profectò urbanæ veriſſimum indicem, at ſemper fuit abundè exhibita cæna, panis verò nunquam datus, paucis colloquuti diebus ſimul convenerunt, & conditones firmarunt, quarum exemplar fuit.

Digitized by Google

Johannes Gambacurta Piſanam urbem in Florentini Populi poteſtatem proximo triduo tradat. Florentini accepta urbe quinquaginta millia dragmarũ auri Gambacurtæ exolvant; Dominium præterea Vallis Balnei, oppidorumq;, quæ in ea ſunt eidem dent, in qua ipſe & ſui olim nati ſub Florentinorum tutela dominentur.

Fœderis viginti obſides adducant, quos Lucas Ereſcanus militiæ Princeps in Ripæ Fractæ arce bona fide cuſtodiat.

Ginus ſtatim poſthâc Florentiam ad decem viros collegas ſuos profectus, contulit rem; decem ergo viri, licet parum ſe tueri poſſe Piſanos certo ſcirent & maximè deficientib. vitæ ſubſidiis, decreverunt tn. ſalubriorem eſſe viam Piſas accipere quam expugnare. Tali facto concepto ad priores artium, ſummum noſtræ Reipub; magiſtratum, acceſſere, intentisq; ad audiendum animis hæc verba fecere. Auctor omnium Deus, Patres ſummi, concedit, Piſas veſtras eſſe, vi an pactione eam urbem malitis, in veſtra eſt poteſtate: ſi pactione, qui poſſunt, volentibus vobis concedunt:

ſin vi, ut certiſſimi ſcimus, Piſanos dies proximos decem vitam & civitatem tenere non poſſe. Magno ferè igitur animadvertendum cenſemus de his duobus quid eligatis. Piſæ non conſentientibus Piſanis invaſæ fient bellica præda, fiet populus, & opibus & potentia anteà clarisſima civitas: Quid effrenis victoria ferat per cupidos viros bellorum auctores, nefarium eſt dicere; ſed talia ſunt, ut non ſolum in Rerumpub. civilib. populis, verum & in Tyrannis non maxime reprehendantur; ſi conventionis ſequi viam vultis atque concordiæ, licet intemerata, ut ita dicam, victoria uti, ſine prædâ, ſine incendiis, ſine cæde, ſine ullo penitus crimine damnoq; veſtra erit nobilisſima civitas; Quod quidem certò credimus, apud Deum hominesq; benemeritos comprobari. His rebus relatis, Priores læti & ſpe bona pleni, Collegia arceſſiri properè jubent & cum his ſpectatos in Repub. Viros, quos idoneos ad conſilium cenſebant, coramq; expoſitis conditionibus per Bindum cum Gambacurta tractatis ex conſilii unita ſtatim

tim voce, via pactionis eligitur; Et ita unitis omnibus ſuffragiis decretum eſt. Gino præterea Capponio & Bartolomæo Corbinello mandatum eſt, ut Florentini populi nomine prænarratis conditionibus Piſanam urbem acciperent. Poſthæc properè Ginus in Caſtra reverſus cum Corbinello convenit & Lucam militiæ Principem nobilioresq; convocarunt agminum Duces. Sfortiam deinde & Tartaliam multis verbis gravarunt & pacem illam neceſſariam fore edicentes ad decus maximum conſequendum. Difficilis concluſio fuit, veruntamen à plurib. amicè multumq́; fatigatis unio tandem facta eſt, inter hæc viginti obſides Florentia profecti ſunt, clariſſimi profectò adoleſcentes, quorum Patres in Repub. Principes ſplendebant. Hi poſtquam in Caſtris convenere & Gambacurtæ nunciatum eſt, cuncta parata eſſe, timore ille perculſus dubitavit, ne trepida civitas, quæ fuerant acta cognoſceret, ſicut convenerat, in Libræ fractæ arce obſides clauderetur. In dubio igitur atq; hæſitanti illi Bracha ſecurius eſſe perſuaſit, ſi ſe Floren-

rentinorum Præfectis fideiq; crederet, idq; ſtatim Gino atq; Corbinillo compertum fecit, & ad conficiendum proximum diem conſtituunt. Deinde poſtquam Bracha diſcesſit, convocatis properè omnib. Exercitûs Ducibus atq; præfectis, Ginum in hunc modum locutum ferunt. Credimus quod ipſa rerum humanarum Domina Fortuna Piſanam civitatem nobis ita concedit, ut qui in ea præſint dent quemcunque eligimus ingreſſum. Nos illum ſalvis bonis Piſanorum accipere intendimus. Vos ergo maximæ virtutis viri & bellorum gnari, quemadmodum id aſſequamur conſulite. Variæ fuerunt Ducum ſententiæ, Sfortia portam eligebat, quæ dicitur in Campis: ſecurius eſſe dicens priusquam procedatur ulterius, partem illam civitatis inſtructis aciebus tenere. Tartalius Florentinæ portæ præponebat ingreſſum, Turrim habere aſſeverãs & Vicum ſitu validum, quæ loca militum præſidiis ſecurius poterant cuſtodiri. Aderant etiam quib. videbatur, per noctis ſilentia turres portasq; capere, deinde clara luce civitatem cum omni exercitu

ercitu ingredi; Quæ ſententiæ, cum ſtudio magis partium quam pro bono, variæ à variis tenerentur, & multifariam implicarentur voces, Ginus indicto acri voce ſilētio. Tacete, inquit, & recordamini, quia ſæpe jactantib. vobis, nos intelligere voluiſtis, poſſe vos vi & virtute militū expugnaras capere Piſas. At nunc cum vobis quemcunq; vultis damus ingreſſum dubitatis? Recognoſcite dicta veſtra, & quam indecorum ſit ſtrenuos viros imbecillem populum obſidione & fame maceratum timere. Silete ergo, & vos equitesq; & pedites omnes veſtros ad ingreſſum per Florentinam Portam parate, præmonentes ut ſine præda & animo hoſtili ingrediantur, ſi laqueo ſolvere pœnas nolunt: nam omninò intendimus, neminem aliter habere quam ſi Florentiæ medio in foro deambulet. Tum Franciſchinus quidam Mirandulenſis Turmarius ductor nimium ſtrictè præcipitis inquit; Quid ſi populus inſidens oppugnet? Quibus vix auditis verbis Ginus quaſi increpans ita reſpondit. Nolumus Franciſchine, nolumus deprædari, & ſi quid

per

per milites delinquetur, ſuis imputabimus Ducibus & ſi per populum, aliave cauſa novi quicquam evenerit, erimus una tecum, & quid faciendum ſit, edicemus. Ita compoſitis reb. abierunt, & quisq; ſuos inſtruxit milites. Proinde parati intentiq; in Tabernaculis quid eſſent facturi exſpectabant. Plerumq; interim noctis proceſsit, & jam de deditione rumor in urbe frequens erat. Quapropter incepto & vitę diffidens Gambacurta ſollicitabat intempeſta nocte urbem dare; ſimulatum dolum noſtri formidantes recuſarunt, præmittentes tn. magnum peditum numerum, qui portam vicinũq; Vicum tenerent, & propitii Gambacurtæ opportuniq; adeſſent. Quib. Cuſtodib. uſus eſt ipſe cum paucis admodum familiarib. ſub porta vigilans pernoctavit. Dubia adhuc diei luce omnis exercitus ordinatis agminibus ante portam apparuit: In dextro Cornu ſecus Arni flumen Ginus, Bartholomæusq; equitatu præcedebant; in ſiniſtro Duces erant ſtrenui, optimi præterea milites, ut quiq; armati fuerant, alas, frontes, lateraq; compellebant. Florentini

populi

Digitized by Google

populi ſignum, quod Jacobus Ganfiliatius regebat,& Guelforum ſignum quod Matthæus Caſtellanus tenebat, cæteraq; militaria vexilla in medio conſtabant. Exercitu ſic diſpoſito, ſtrictisq; veluti dimicandum eſſet acieb. paululum ante apparentem ſolem ad portam venerunt: poſtmodum cum ſol oculis noſtris primum apparuit: Tum Johannes Gambacurta perſtans in limine portæ ſagittæ ferrum Gino dedit, dicens, do hoc ferrum ſignum dominii noſtræ quondam urbis, quæ nunc, uti DEO placet, veſtra eſt, quia nos cives ſui propria maximè curantes, communia neglexim9; vos eam ſalvare nitimini tanquam Italiæ ſpecimen pretioſum, & me quid ſim facturus docete. Ginus ad hæc: gratulor inquit mihi ſortem potiſſimum eſſe datam tantam urbem accipere; & quod bonum, fauſtumq; & æternum ſit, illam Deo propitio Florentini populi nomine accipio. Tu a Johannes, poſtquam datum erat Florentinos Piſas accipere, gaudere debes, te autore accepiſſe: Nam id tuâ operâ eſſe factum in memoria nobis erit, & Reipub.

noſtræ

noſtræ populoq; ſemper eris tuo emolumento cariſſimus. His dictis ne ſuorum quisquam illum offenderet, in ejus tutelam Bernardum Cavalcantem cum valida manu reliquit; Procedentes deinde cum reliquo exercitu Lucam militiæ Principem ad aream, quæ ante Priorum Palatium ſtabat, adduxêre; quo cum veniſſent Jabus lator ſigni Florentini populi equeſtribus titulis inſignitur. Luca deinde ad Cuſtodiã areæ cum magno equitatu relicto, reliqui omnes aciebus catervatim partitis per urbem vicatim vadunt. Inter hæc ingens fuit populi permixta timore admiratio: per pauci a. erant, qui antea deditionem ſciviſſent. Mirabantur itaq; inimicos armatos intra urbem nullam inferentes injuriam videre & complorantes caſum ſuum Patriæque timidi verebantur, ne tota occupata urbe, repente in victorum prædam cuncta verterentur; qua formidine triſtes gementesq; ſtupra, rapinas, necesq; & cætera mala, quæ inimicis victoria ferre ſolet, jam videre videbantur, resq; omnes ſuas tanquam afflictas, dolore &

luctu

Digitized by Google

luctu præditas eſſe ducebant, ſed poſtea quam edicentibus noſtris rumor per urbem increbuit omnia ſalva eſſe, nec quicquam ineſſe periculi, ingens ſtatim populi multitudo in feneſtris apparuit, unius cujusq; ſexus ætatisq; inedia macieq; conſumpti ſquallore ac tabe fœdi formidoloſiq; apparebant. Noſtrorũ pleriq; miſerando eorum famem, panes ſecum detulerãt, projiciebãtq; interdum ad pueros, ubi plures adeſſe cernebant: nunquã aliquis adeo celer ad paſtum fuit, uti illi, qui pro pane eſurientes certabant: nec ſolum inter ſe fratres præripere conabantur, verum etiam complorantibus fame natis parentes avidi prævorabant. Perambulata vicatim urbe exercitus omnis in Aream ad Præfectos cõvenit; Præfecti interim, ne militaris tumultus fieret, de collocãdo exercitu cum prioribus civitatis, qui adhuc Palatium habitabant, cõvenerunt, & ut ordinatum fuerat, ita in urbe exercitum collocarunt. Lucas verò Princeps ſua cohorte ad cuſtodiam ariæ remanſit. His rebus ita actis Ginus & Bartolomæus nuncium cum literis miſerunt

Digitized by Google

runt, qui quanto celerius valeret, captas fuiſſe Piſas Florentiam ad Magiſtratum perferret; ipſi verò ſtatim ad Palatium ivere Priores cũ magno nobiliũ civiũ numero ad imum ſcalarũ exſpectantes, quid agere vultis dicebãt? reſponſum datũ eſt, ut Portarum arciumq; claves cõſignarent, quod cum feciſſent, ad ſuas domus abiere, & Florentini populi ſigna ſtatim ſunt ad Palatium ſuſpenſa. Nicolaum poſthæc Cocchium Donatum per Piſarum agrum cum equitatu misère ad oppida capienda, proptereq; octoginta quatuor accepit, quæ ſine ulla factione ſeſe in illius fidẽ tradidêre, Piſasq; Oratores miſerant, qui ſe mandata facturos jurarunt. Poſtquàm hæc præviſa ſunt, qui rebus agendis præerant, farinam frumentumq; & coctum panẽ, quem ad hanc opportunitatem abundè paraverant, in urbem devehi jubent & per vias ubiq; vendere. Tantus illico concurſus ad emendum factus eſt, ut nobiliores etiam publicè panem emerent atq; vorarent: Qui abundantia, pleriq; nimia aviditate ſaturati, intenſa repletione periere; quapropter ut per

Digitized by Google

per capita diſtributio ponderib. fieret adhibita cura eſt: Igitur quia fames ingens atq; intolerabilis penè fuit non indignum videtur de ea veriſſima quædam perſcribere: Fuerat certè ejus magnitudo adeo in extremum deducta, ut non ſolum cujuscunq; generis herbæ, radicesq;, verum etiam tenerrimi arborum cortices foliaq; in pulverem reducta præbuerint eſurienti populo panem, Equos prætereà cæteraq; jumenta, horrendaq; humano victui animalia usq; ad ſordidos commederent mures & quod nefarium eſſet, ſed tn. Hiſtoriæ lege meminiſſe licet, pro certo creditur, nonnullos humana membra eorum, qui fame perierant, glutiſſe. Ingredientibus urbem, noſtris compertum eſt, & omnibus publicatum, priores civitates, ex lini ſemine confecto pane pro cibo uſos: nec quicquam humani cibi inventum eſt ſupereſſe præter tres macerrimas vaccas, parumque Sacchari; omne reliquum penitus eraſum atq; conſumptum fuerat. Compoſitis, ut diximus reb. trepida etiam tunc civitas mirabatur, nihil male perpetratum fuiſſe, idq;

ex conſilio factum fuiſſe credebant, ut repleta hoſtib. urbe facilius major præda fieret. Ad ſuſpicionem igitur tollendam confirmandosq; animos, convocatis nobiliorib. civib. popularibusq; Ginus hujusmodi verba fecit.

Omnia quæcunque voluit fecit Deus in cœlo & Terra, nec noſtrum eſt ſcire; cur Deus voluerit; effectus tn. nonnunquam eventusque cognoſcimus. Ex facto igitur non incertum habemus Deum Florentinum populum Piſas vincere voluiſſe, quod utrum peccatis veſtris an meritis noſtris factum ſit, neſcimus. Deus ipſe ſcit; Vos nihilominus unà nobiſcum intelligere & ſcire debetis; Civilibus diſcordiis eo deductas res veſtras fuiſſe, ut tenentib. ad huc urbem vobis, & non diminutis viribus noſtris continuò vos ſuperare valeremus. Attamen poſteaquam DEO placuit nos urbem veſtram acquiſiviſſe, omninò intendimus quod acquiſitum eſt retinere. Honeſtius porrò fuiſſet nō acquiſiviſſe; quam acquiſitum dedecore amittere. Moneo igitur obteſtorque, ne malitis vosmetipſos

per-

perditũ iri quam ſalvos eſſe. Nam nec quicquam ſat erit ſupplicii quærentibus aliquid contra noſtræ reipub. majeſtatẽ, nec quicquam vobiſcum Injuriæ factum eſſe putabitis, ſi vetera vobiſcum repetere vultis. Semper quidẽ invenieris majores veſtros diverſas contra urbem noſtram partes ſecutos fuiſſe. Primis illis temporibus poſt declinationem Rom: Imperii, cum Barbaræ Nationes per Italiam debaccharentur, memoriæ proditum eſt continuè Piſanos contra Florentinos ſentiiſſe. Juſtiniano apud Conſtantinopolim imperante Gothi Eccleſiam Romanam per ſequentes cuncta per Italiam vaſtabant; Eo tunc bello, conſtat Piſanos Gothos ſecutos fuiſſe, Florentinos pro Romana Eccleſia pugnaſſe. Quapropter factum eſt, ut capta deinde à Totila ſæviſſimo Gothorum Rege Roma atq; direpta ſit, & ſine ullo habitatore derelicta, pariquoq; penè feritate in Florentinos idem etiam ſæviret; liberata tandem poſt multas illatas per longa tempora clades à Barbarorum injuriis Rom: Eccleſia, Pontificibusq; per Carol: Magnum in pri-

ſtinam dignitatem reſtitutis, cum idem Carolus obliteratum jam longo tempore in Italia Romanum reſumpſiſſet Imperium, Florentiam Urbem quæ una cum Romana deſolata penè fuerat, una quoq; reparavit. Procedente deinde tempore cum Imperatores & Pontifices inter ſe de proprio jure contenderent, duæq; inde diverſę ſuſcitarentur factiones Piſani continuò Imperatorib. Florentini verò Pontificib. adhæſerunt. Federico igitur Primo hujus nominis Imperatore Pontifices perſequente maximas ſunt Florentini calamitates perpeſſi: Vos cum Imperatore ſemper his malis noſtris armati affuiſtis. Natus eſt ex Federico Henricus, & poſt eum ſecundus Federicꝰ, hujus Henrici filius: his receptum, his cōmeatum, his armatos milites & omne veſtrum ſubſidium in noſtram perniciem cōtuliſtis. Hæc eadem Manfredo potentisſimo Regi hujus proximi Federici filio; hæc Corradino eorum Nepoti, omnibusq; aliis perſecutoribus noſtris, ſtudio magis diverſarum partium quam cōmodo aliquo veſtro in noſtram calamitatem exhibuiſtis.

Hac

Hac deniq; ſcelesta nefandaq; familia Italia purgata, & eorum ſtirpe deleta, cum populus noſter bona pace quieſceret, & ſua tranquillitate uteretur, continuè populus veſter veſtriq; Tyranni infensè nos ſunt perſecuti. Teſtis eſt Florentinus ubiq; ager, qui exercitum Piſani populi incendiis atq; rapinis cuncta vaſtantem iterum & ſæpius vidit; Teſtes ſunt amici noſtri, quibus ob noſtram cauſam ſemper Inimici infenſique fuiſtis: Teſtes ſunt inimici, qui nunquam in nos contulerunt arma, quin vos unà in noſtrũ malum armati quoq; aſſueritis: Teſtis eſt ipſa noſtræ Civitatis Urbs, jamdudum ſœpius veſtris oppreſſa copiis: Teſtes ſunt urbis portæ, quæ bellicoſiſſimum exercitus Ducem Caſtruccium Piſas tenentem, ſecundis uſum præliis in ſe ruentem vidêre. Quibus bellis cum adeò attriti tandem fueritis, ut pari vi nobiscum bellum gerere non potueritis, Galeatio potentisſimo Mediolanenſium Duci, libertatem noſtrum opprimere cupienti, urbem veſtram conceſſiſtis, & eo maxime tempore conceſſiſtis, quo in adverſa fortuna

noſtra, ipſe feliciter egerat, nec ſuæ potentiæ nos poſſe reſiſtere credebatis. Quibus continuatis tanto tempore odiis, illatisque injuriis certum exploratumque habemus, noſtram civitatem nunquam quietem habituram, niſi urbe veſtra ſublata aut noſtræ ditioni ſuppoſita; quorum alterum cum jam factum ſit, nobiſcum debetis unà quieſcere & dominationem noſtram minime formidare. Non n. vult Florentinus populꝰ veſtram urbem delere, ſed in omnib. ut cernitis conſervare; victis vobis, præda urbis militibus debebatur, illamq; belli jure inſtantisſimè depoſcebant. Nos, ne tantum malum vobis accideret, procuravimus, ut compoſita cum Gambacurta deditione, quam neceſſitas concedebat, militibus prædam jure vetaremus. Quod ita factum eſt, ut victam urbem tot militum millibus cum victoria ingredientibus ſine ulla penitus injuria nõ aliter ipſi ſe geſſerint, quam ſi continentisſimi Chriſtianæ Religionis viri fuiſſent. Ex quo quidem principio ſpem bonam ſuſcipite, inimicitias deponite, ſedate mentes, iras mollite, & qui-

quibus Deus poteſtatem veſtræ urbis conceſſit, animos quoq; concedite. Vidimus enim ſæpe ex bellis pacem & diuturnam amicitiam ſecutam, ex illatis injuriis futuram gratiam ortam. Decreverunt ſummi noſtræ Reipub. Patres, quæ ante hunc diem nequiter facta fuerunt, penitus obliviſci & in futurum vos tanquam filios ſalvos velle; Ideoq; delictorum impunitatem omnibus Piſanis usq; in præſentem diem eſſe volumus & licentiam remeandi in urbem cunctis concedimus; Ite igitur & liberè atque bona ſpe operibus veſtris artibusq; ſecurius incumbite, & date operam, ut ſicuti nos optamus, Piſana civitas populo, frequentiâ & artibus augeſcat. Et ut cognoſcatis omnia quæ vobis retulimus, ex intimo corde Patrum noſtræ Reipub, fuiſſe deprompta, credimus, veſtrum eſſe Florentiam ad Priores Urbis, Oratores mittere, qui vos mandata facturos dicant, civitatem commendent, & quæ diximus è fonte cognoſcant. Nos certo ſcimus omnia quæ vobis narravimus abundè cumulata, ſalvis omnib. reb. veſtris, cum emolumento evenire.

Facto dicendi fine cum Gini dicta Piſani cognoviſſent, ſpe magna pleni Bartolomæo Piombinenſi, ut reſponderet cõmiſerunt, Bartolomæus igitur ſilentibus cunctis hujuſmodi verbis reſpondit.

Apparuit magna benignitas Dei ſalvatoris noſtri, quæ non ex operibus quæ fecimus, ſed ſecundum magnam miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit; Hæc verba in intimâ mente tenere & pleno ore ex medio corde proferre omnes Piſani grata & ſincera voce debemus. Quoties noſtra in populum Florentinum errata & victoris populi Florentini erga nos victos magnam non ſolum benignitatem, ſed ſingularem etiam clementiam meminerimus. Eſt quidem facinus magnum, & in ſecula memorabile, potentes vincere civitates, & magnos ac divites populos ſuperare. Sed inimicos vincere & victoriam temperare, victosq; tueri & conſervare, non ſolum eſt magnum hominis facinus, ſed propè divinum; Quid enim aliud ſonat divina illa noſtri ſalvatoris vox, dimittuntur tibi peccata tua: Vade & noli amplius peccare; niſi

id

Digitized by Google

id quod nobis nunc Florentini fecerunt. Hæc eadem voce, hac ſententiâ, hoc eodem judicio erga nos præſtat populus Florentinus, & eo tempore præſtat, quo nos vicit, & quo nos victi ſumus. Dixerunt enim ſe neſcire utrum peccatis noſtris, an meritis ſuis factum fuerit, ut nos vicerint. Hanc dubitationem nullo modo nos habere debemus, cum ſciamus peccatis noſtris meritò hoc eveniſſe, & nunc eorum experientiâ & facto cognoſcamus. Quid enim majus poteſt eſſe meritum, quam victos inimicos, quos in direptionem & prædam tradere militibus non ſolum non potes, ſed bellorum conſuetudine debes, ſua clementia prælectoq; inſtituto & ordine conſervare? Cum igitur videmus Florentinos ſalvos nos eſſe voluiſſe, ſcire & intelligere omnes debemus, quæ victoriæ conditione illorum fuere, ſua munificentia nobis reſtituta fuiſſe. Quam obrem gratias ingẽtes illis omnes Piſani habere debem9, & pro eorum dignitate cuncta extollere atq; amplificare, quæ nobis in ſuâ victoria conceſſerunt. Et ſi quis contra attentave-

rit,

rit, quovis ſupplicio illum dignum putamus. Nam velle quod acquiſitum eſt tenere, eſt naturæ hominum maximè conſentaneum, idemq; nos ſi victores fuiſſemus facere conaremur. Florentinis nos obſidentib. miſerabilem toleravimus famem, & tanta deſperatio nos irrepſit, ut fame perire quàm ad impias inimicorum manus devenire maluerimus, quod nulla alia de re factum exiſtimo, niſi ignorantia humanitatis & gratiæ populi Florentini, quæ tanta eſt, ut delicta omnia noſtra facilè vincat & ſuperet. Non delictum dico defenſionem noſtram, quam fecimus: omnibus animantibus eſt à natura tributum, ut ſe tueantur conſerventq; & non deſerant ſuâ; ſed delictum appellavi, quæ Florentinorum nomine commemorata nobis fuere, & quæ hactenus antehoc bellum contra Florentinum populum per injuriam fecerimus. Quæ delicta noſtra qualiacunque fuerint, illa certò illorum clementia exuperat. Lætari igitur omnes debemus talibus victoribus nos victos fuiſſe, nam ſi parere victoribus victoriæq; lege tenemur,

nemur, cui magis mentem voluntatemq́; clare debemus, quam illis victoribus, qui nos ſalvos eſſe voluerunt, cum in Eorum eſſet poteſtate nos perdendi. Cum videamus igitur in ipſo victoriæ impetu gratiam noſtræ ſalutis apud noſtros inveniſſe victores, ſperare certò debemus, quod quemadmodum nos eſſe ſalvos voluerunt, ita conſervando cuſtodient atq; extollere conabuntur, & tanquam Patres nos gubernabunt & regent, nec in futurum erimus Tyrannorum præda, quemadmodum ſæpiùs iterumq; fuimus. Quarum rerum exempla non longè quærenda ſunt, in hoc n. Cætu noſtro, quem præſentem videmus, multi ſunt, quibus per vim patrimonia fuerunt à noſtris Tyrañis adempta. Sunt quib. in ſuos exilia & mortes ſtupraq; & adulteria fuerint illata. Bartolomæus adeſt ſcornetanus, cui Gabriel Maria, noſter olim Tyrannus, vigintiquinque nummorum auri ſub vitæ conditione per triduum eripuit. Adeſt Gerardus Campanius vir magnis opibus in noſtra urbe clariſſimus, quem Johannes Gambacurta, per magnos corpo-

ris

ris cruciatus ad manifeſtationem ſuarum rerum impulit, donec bona omnia, quæ poſſidebat, penitus expilavit: luctuoſum eſſet & grave, acerbas noſtrorum civium mortes & maximè deſolatas familias narrare. Sed nota omnib. ſunt, & talia ut maximè patriæ noſtræ detrimento ſint facta; Virginum raptus, maſculorum concubitus, adulteria, ſtupra, & alia nefanda ſcelera perpetrata tacenda ſunt, quia ſine noſtrorũ infamia recenſeri non poſſunt; ſed talia fuere, qualia concupiverunt, qui nobis dominabãtur. De ingenti fame, quam perpeſſi noviſſimè ſumus, ſuper vacaneum eſt dicere, cum multi famè perierint, & qualis fuerit, noſtra ex tenuata conſumptaque corpora abundè demonſtrant, & Bartolomæus Scornitanus teſtificari poſſit, qui decem & octo tritici libras, decem & octo emit auri dragmis, nec amplius emendum invenit. Omnia hæc non ſine lachrymis meminiſſe debemus, & exempli gratia in animo retinere, Deumq; laudare, qui nos tantis malis liberavit, & ad ſalutis Portum in manus piorum deduxit.

Secu-

Digitized by Google

Securitatem igitur bonamq; ſpem eâ affectione ſuſcipiamus, qua nobis grata voce obtulerint. Pareamus eorum mandatis, tabernas, tabernaculaque cuncta noſtra aperiamus, & quisque artibus operibusque ſuis ſecurius incumbet, exiſtimando res omnes ſuas amore propriæ rei, nec pro vili excludatur mercede, ut nonnulli antea fecere. Delictorum Impunitate atque licentiâ in urbe degendi, quemadmodum liberè concesſerunt, ita liberè omnes utantur; mittantur Florentiam oratores, qui oſculentur terram ante ſedes dominorum noſtrorum: fidemque atque obedientiam promittant & jusjurandum præſtent, mandata nos eſſe facturos; Gratias præterea reddant noſtræ ſalutis, illamque in futurum benè commendent & dicant. Miſerere noſtri piisſime Domine noſter, miſerere noſtri, quia peccavimus, ſed ne reſpicias ad peccata noſtra, quæ fecimus: Da gloriam nomini tuo, & ſecundum magnam miſericordiam tuam ſalva nos; ſperamus enim poſt noſtram ſalutem, & tantam impetratam gratiam, Piſanos ſemper obnu-

obnoxios fidosque fore, populoque Florentino carisſimos.

Poſtquam hæc audita ſunt, omnes Piſani Bartholomæi ſententiam confirmarunt & inter eos decretum fit, ut oratores mittantur, vigintique delecti ſunt ſpectatæ dignitates cives, qui Florentiam proficiſcerentur, & ut conſultum fuerat, ita mandata perficerẽt: Nuncius interim perpetuo procedens itinere Florentiam venit. Frequentia cujuſcunq; ſexus atque ætatis hõinum haurire tantum gaudium cupientium, ad portam usque pervenerat; cum adveniſſet igitur Nuncius, obvii fiunt, quæ facta eſſent percunctantes: Alii prætereà circumfusè concurrentes, vias adeo complebant, ut antequam in forum perveneriت, tanta fuerit hominum frequentiâ, ut niſi cunctanter incedere per ſtipata agmina non valeret. Publicato igitur prius per urbem acceptæ Piſanæ urbis Nuncio, ægrè tandem in Curiam ad Magiſtratum literæ pervenerũt & ad Patres recitatæ ſunt, tantaq; lætitiâ per cunctorum animos ſtatim invaſit, ut nec compotes mentium, homi-

homines præ gaudio eſſent, nec poſſent lachrymas continere; Concurrebant alii adverſus alios per urbem, ut tam lætum gaudium Patribus conjugibusq; & liberis impertirent, lætitia ingens erat in reſonantibus inſtrumentis, incenſisq; flammis cuncta civitas exultabat. Refrigerato deinde exultantis animi fervore, Magiſtratus per triduum ſacerdotalem pompam indixit, ſupplicationemque ad Deum fieri juſſit, & ſic per totos illos dies magna populi frequentia eſt pariter celebratum, ingentesq; Deo gratiæ ſunt actæ.

Piſani hoſthæc Oratores Florentiam profecti, & ad magiſtratus introducti gratias egerunt, quod ſalvis omnib, ſuis rebus Urbem eorum in ditionem accepiſſent, humilibusque deinde verbis ſeſe urbemq; ſuam in fidem tradidere. Reſponſum eſt illis, Præfectos Florentini exercitus ex ordine & voluntate populi Florentini Piſanorum bona ſalvaſſe, idq; documentum omnibus gentibus fore, ſalvos illos eſſe voluiſſe, ſicque illis polliceri, & ſperare illos id velle. His verbis dimiſſi donatiq; abie-

runt. Ginus poſt hæc Capponius, & Bartholomæus Corbinellus, Piſanæ urbis Prætores ſunt per futuros menſes delecti; Cuſtodiam deinde civitatis, munitionesq; curantes, valida per urbē diſtribuerūt præſidia. Arces quoq; & Turres per urbis media mœnia instituentes; Inter quarum ædificationem lugentes ferè cives, qui Piſis prævalebant, Florentiam relegantur, qui poſt conſumatas munitiones impetrata licentia domum rediere. Johannes etiam Gambacurta, qui Princeps Piſis fuerat Florentiam venit, honorificeque ſuſceptus eſt, & promiſſa ſunt ei in integrum penitus obſervata.

Potiora

Digitized by Google

Potiora Errata, quæ in Præfatione, Conclavi & in Hiſtoria Palmerii inter relegendum obiter obſervari, ita emendabit Benevolus Lector.

In Præfatione.

Pag. 1. lin. 2. lege Romæ, lin. 5. Georgij, lin. 6. magna, pag. 2. lin. 25. l: elaborandum. pag. 3. lin. 6. l: Bullam Gregorij, lin. 7. Pontificis, lin. 8. adjicere, pag. 5. lin. 3. pro clericatum puto ponendum officium Auditoris Cameræ: ſi rectè memini, Innocentius X. fuit Auditor Cameræ, lin. 4. poſſident, lin. 19. divinabant, pag. 7. lin. 15. Antonius, pag. 8. lin. 26. lege pro quam, eam tamen multam, pag. 9. lin. 4. l: non potuiſſe, lin. 5. eſſet facta, lin. 8. videant, lin. 10. præficere, lin. 11. illis, ſubſunt, lin. 24. Subdatarij, pag. 10. lin. 1. auctoritatis, ibidem lege Datarius. pag. 11. lin. 13. lege Dopp. eſt nummus aureus Hiſpaniæ; facit tantum quantum tres thaleri & dimidius, interdum in Italia plus, lin. 16. fore, pag. 12. lin. 1. l: Cardinalem, lin. 9. l: multis. pag. 13. lin. 21. rejeciſſe; pag. 14. lin. 22. l: rigore, pag. 15. lin. 26. l: conatus. pag. 16. lin. 5. eſſet, lin. 23. Ducatus Urbinas. pag. 18. lin. 18. l: Pontifice, pag. 19. lin. 11. apparatu, lin. 12. induuntur,

Digitized by Google

antur, pag. 20. lin. 9. fuiſſet: hac lin. 10. paravit, lin. 11. Olympiæ, lin. 15. Panzerolam, lin. 19. aptis deſtituto, pag. 21. lin. 9. Pontifice, lin. 10. fuerit. Commiſit Pontifex, lin. 13. dele Pontifex, lin. 16. audire; ſed, lin. 12. commendabant; pag. 24. lin. 23. Nuntio. pag. 27. lin. 17. moleſtabat pag. 28. lin. 15. promiſit, ſperans. pag. 29. lin. 9. Jeſuitam; lin. 12. concurſus multas. lin 13. prætendebat. lin. 20. pro victum l: commeatum cum. p. 33. lin. 17. agemus. lin. 18. geſſit. Illorum pag. 31. lin. 4. habet: eapropter. pag. 33. lin. 3. ſed lin. 13. erant, lin. 14. unde pag. 34 lin. 1 l. frumenti, lin. 3. transvectionem prohibuiſſet. lin 4. geſſiſſent. lin. 23. conſcij: nam. lin. 24. dele 1. lin. 14. modus lin. 17. dele militum, lin. 19. admirabantur. pag. 36. Legatus, pag. 37. lin. 18. Germaniæ, pag. 39. l in. 14. ductus Hiſpanis. pag 40. lin. 16. Ducis. pag. 41. lin. 1. Dux: lin. 5. Duci. lin. 6. Ducatu. lin. 8. conſociando Parmenſis. lin. 25. Chriſtianus. pag. 42. defendit: pag. 43. quia, lin. 3. habetur: tamen. pag. 44. lin. 22. uſum, pag. 45. acquiſiviſſet. lin. 10. ſignaturæ, lin. 12. Nardenſis, Nuntius. lin. 14. pacis, lin. 26. nequeant: hinc pag. 46. lin. 7. hinc. lin. 16. Platina in. pag. 49. lin 3. l. ſplenduère. pag. 56. lin. 5. præ exactè obſerva-

tur,

e

Digitized by Google

tur, lege impletus eſt. pag. 60. lin. 2. attendat. lin. 16. dele electio & lege Potentia, lin. 18. adde ad poteſtas & quid ſibi in Principes tribuunt. lin: 20. adde Urb. 8. & iis, quæ jam ſuprà dixi. pag. 61. lin. 18. Italiam. lin. 24. quicquid ſit. pag. 62. lin. 5. vendicarint. lin. 12. lege pro Germanis Electoribus. adde ibidem ad Principem Germanum. pag. 63, adde ad proceres ſpectabat, & antea Imperium erat ſucceſſivum, pag. 64. lin. 14. Hiſtor. Angl. pag. 65. lin. 7. dicebat. pag. 67. lin. 10. traittes. pag. 68. lin. 15. Legato. pag. 69. lin. 13. probabatur. pag. 94. lin. 11. ha. pag. 99. lin. 23. Macerata. pag. 103. lin. ult. lege 1358000. pag. 107. lin. 11. inter ſe. pag. 112. lin. 21. praeeſt.

Errata in Conclavi.

Pag. 7. linea 5. lege addictum. lin. 8. l. malevolentiæ, pag. 8. lin. 16. leg. Cardinalis Barberinus, pag. 10. lin. 7. l. dabant. pag. 12. lin. 13. l. ſit. pag. 13. lin. 23. pro conducere l. utile eſſe. pag. 14. lin. ult. l. actum. pag. 15. lin. 1. habere. pag. 16. lin. 18. l. eorum. pag. 27. lin. 7. confirmabat. lin. 22. & erat. pag. 31. lin. 13. paris. pag. 36. lin. 17. adduxerit. pag.

pag. 43. lin. 6. afferret. pag. 45. lin. 9. mora &c. pag. 46. lin. 14 Borgheſius. lin. 22. alius. pag. 54. lin. 7. clari, pag. 56. lin. 16. pro neptem l. fratris filiam. pag. 58. lin. 11. illumq; ut hoſtem exciperet. pag. 59. lin. 14. Senſibus. lin. 18. adoratus: lin. 22. tam illi, quam pag. 62. lin. 10. Dei. pag. 64. lin. 6. Camerinus. pag. 65. lin. 6. privatus. pag. 71. lin. 11. Sforza & Savellius. lin. 12. dele unio & lege factio volans. pag. 72. lin. 7. unius. pag. 73. lin. 5. decennium. pag. 79. lin. 21. acourrant. pag. 82. lin. 20. coram mundo. pag. 83. lin. 22. ſapientem habere; pag. 86. lin. 23. prætenſionum, lin. 25. animos. pag. 90. lin. 24. ſuſurrabant. pag. 79. lin. 6. Roma. lin. 9. fuiſſet exacte. pag. 99. lin. 12. opinio de. pag. 100. lin. 7. tenerrimè plorabat. pag. 107. lin. 12. tur, niſi. dele ad. lin. 14. faceret. lin. 19. excluſerint. l. 26. aptiorum, pag. 188. lin. 2. pro qui, lege quæ & pro cœno lege cœnæ.

Errata in Hiſtoria Palmerii.

Pagin. 225. lin. 6. lege utrumque, pag. 226. lin. 5. animos invaſere. lin. 17. lege quæ. pag. 228. lin. 15. amiciq; manſere. pag. 235. lin.

Digitized by Google

lin. 25. tantæ. pag. 239. lin. 19. in quam. pag. 250. lin. 7. conjuncti. lin. 23. puto legendum victores aut ſuperiores. pag. 275. lin. 2. repellebant. pag. 280. lin. 24. datus. pag. 282. lin. 12. dele non.

Quæ in cæteris omiſſa aut commiſſa ſunt, ipſe ut Lector corrigat, rogo.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google